mina aulla habita ratione vel temporum, de quibus non quæritur, vel ordinis, quem obtinent; vel auctoritatis, quam majoris, minorisve ponderis habent in Ecclesia. Attulerunt illi, quod & ipse præstiti, auctores, locos, facta, prout se se ipsis offerebant, vel prout in ipso fonte legentibus occurrebant, & hac una in re omnem operam, curamque suam collocarunt, ut nihil scriptis suis insereren, quod non apte proposito conduceret. Neque in eo immoratus sum, ut auctores ipsos ex sua quemque professione cognoscendos proponerem; illos enim ex nomine tantum, operibusque indigitavi, ne sæpius repetens cujus vel ordinis essent, vel professionis, innuere velle viderer in hac potius, quam in alia plures excelluisse in concionibus elaborandis, quæ res conflare scribenti posset invidiam; dum e contra illos ex homine, vel operum titulo designans ratus sum omnem a me inauis curæ captandæ suspicionem, quæ semper absuit, longius absuturam. Secundo quamplures ignotos libros memoravi, immo nonnullos, qui in lucem emissi non satis benigne excepti fuere: qua in re me quispiam forte improbabit, eos tantum in medium afferendos esse contendens, qui in genere suo cohortem ducerent, vel eos saltem, qui optimi haberentur, & vocarentur. Id si fecissem, majorem proculdubio operi meo brevitatem comparassem; verum non satis locupletem rerum supellectilem instruere potuissem, quod unice mihi proposueram, præterquamquod pauci sunt ascetici libri, unde non aliquid notandum, atque in finem meum perutile possit hauriri. Cur ergo, quin ea improbentur, quæ ibidem improbanda inveniuntur, iis uti nefas sit, quæ illic optima occurrunt? Tertio nonnumquam etiam anonymos, & manuscriptos libros protuli, quorum auctores me latent, vel quorum nomina palam proferre non licuit, quandoquidem id unum animo meo est obversatum, ut scilicet concionandi ministerio facilitatem quam maximam conciliarem, quin eorum gloriæ consulerem, ex quibus rerum copiam deprompsi. Quod ad illos attinet, qui operibus suis nomen proprium noluerunt affigi, quemadmodum illi ipsi consuere operam suam legentibus nihilominus utilem futuram, hoc satis est, ut mihi iisdem utendi facultatem tribuerent. Quarto, fateor tamen de industria me aliquorum nomina reticuisse; cum enim eorum scripta apud mortalium existimationem laborent, nomini quoque meo obfutura fuissent, & operi notam aliquam inusturą. Quod si eadem de causa quis mihi objecerit, nequaquam depromendos fuisse ex illis fontibus eos locos, qui ciere possent desiderium & auctores ipsos cognoscendi, perlegendique, non sine periculo gradum faciendi ab auctorum existimatione ad existimationem doctrinæ, quis mihi vitio vertet, quod Tabernaculum Ægyptiis manubiis exornare fuerim conatus? Ne autem aliquis eorumdem erroribus inquinetur, nonne satis cautum est, cum auctores ipsos ignotos reliquimus? Sin autem hac ipsa regula usus non sum cum aliquibus, qui aliqua erroris, ac novitatis suspicione minime carent, credidi, cum nulla notati essent censura, vel interdicto, cumque alioquin præ omnium fere concionatorum manibus terantur, me & occasionem auferre inde ea, quæ sunt mala, eligendi, & eorumdem percurrendorum laborem aliis evitare, & illis, qui hæc qualiacumque collectanea mea legerint, hanc voluptatem afferre, quod nihil non orthodoxum invenire possint, ac inoffenso pede percurrendum. Quinto injustitiæ nomine me redarguent ob Asceticorum, aliorumque librorum electionem, qui ea pertractant argumenta, de quibus loquar; quod scilicet plures prætermiserim, qui minime iis cedunt, qui a me cum laude afferuntur, & qui longe plurima, eaque optima ad conciones exornandas poterant suppeditare. Quid huic respondeam objectioni, nisi quod cum hujusmodi librorum numerus, quorum in singulos dies novi quidam prodeunt, fere sit infinitus, omnes non potuerunt afferri, ac illis tantum usus sum, quos invenire licuit, & qui ad meam usque cognitionem pervenerunt; atque eos præ cæteris optavi, qui singulares in aliquod argumentum tractatus edidere; hi quippe ea de re fusius locuti sunt, remque ipsam intus, ut ajunt, & in cute explorarunt, & quidquid ab aliis per occasionem, ac transennam allatum est, ad examen vocarunt, & collegerunt. Illis enim tantummodo usi sumus, qui gallice scripserunt, cum enim gallice concionaturis hoc præsertim opus consulere cupiebamus, cumque inde rerum seges invenire licuerit, quæ pluribus concionibus elaborandis satis esse visa est, non opus fuit, alios auctores adire, qui alio idiomate elucubrati sunt. Hæc autem fortasse non contemnenda esset idea, si quis nationis alterius eruditus vir, ut gentis suæ concionatoribus similem suppeditaret dicendi copiam, eademque insistens via eos proferret auctores, qui vernaculo sermone eadem argumenta tractarunt. Ipse ego novi, eam concionandi rationem, quæ viget in Gallia Exteris nequaquam displicere, & longe plures se se eidem accommodare, gallicumque sermonem edisceret, ut id faciilus assequantur.

Circa eos sanctorum Patrum locos, quos quarto Paragrapho attulimus, si quis objecerit, quod non satis per extensum fuerint exscripti, quemadmodum plurimi auctores fecerunt, qui librorum suorum margines longis citationibus repleverunt, quas nonnunquam textui ipsi inseruerunt characterum varietate notatas, hoc operæ futurum fuisse pretium ducerem, si de aliquo doctrinæ articulo, vel de controversia ageretur, ubi auctoris sententia colligitur ex iis, quæ allatum locum vel præcedunt, vel consequuntur; sed hoc nullius utilitatis futurum fuisse puto concionatoribus, qui brevioribus indigent sententiis, quibus aliquid singulare, & nitens vel in sensu, vel in verbis adsit, sive ad ea, quæ dicunt, confirmanda, sive ad conciones suas exornandas. Præterquamquod nimium excrevissent volumina ejus operis, quod jam satis amplum est, ac rebus magis necessariis refertum. Sufficit ergo sanctorum Patrum, aliorumque auctorum locos iis indicasse, qui eosdem in ipso fonte conferre voluerint.

Quod ad quintum Paragraphum attinet ea continentem, quæ ex Theologiæ penu depromi possint ad propositum argumentum fusius pertractandum, ut eas omnes difficultates, quæ in hac re possent occurrere, omnino tollamus, considerandum est, hic nos loqui de Theologia suggestui accommodata, non de abstracta, atque contentiosa Theologia, quæ traditur in scholis. Itaque quin in controversis opinionibus in alterutram partem concedamus, constantia, & generalia traduntur principia ab omnibus doctoribus probata, quæ pro virili iis explanare argumentis adnitimur, quæ extra vulgi captum non sint, & potius concionatoris, quam theologi more. Ideo unum D. Thomam

mam in medium attuli, quippe cujus doctrina in rem nostram magis futura visa est; horum enim temporum consuetudo, ac ratio non sinunt, ut alii citentur, quorum sensus colligere, & afferre suppresso nomine satis fuit.

Hic mihi reliquum est, ut Lectori meo faciam satis circa ea, quæ ad postremum attinent Paragraphum reliquis omnibus simul sumptis plerumque fusiorem, ac prolixiorem. Continet autem delectos Asceticorum, neotericorumque concionatorum locos, hoc est excerpta quædam, quæ concionatoribus vel pro materia, vel pro exemplari esse possunt utilia. Qua in re animadvertendum est, 1. ut argumento, de quo agitur, accommodentur, necessario ex proprio loco fuisse divellenda, quod fieri minime potuit, quin aliqua vocula, vel aliquot etiam lineolæ adderentur, & locutiones nonnullæ immutarentur; non secus ac in quovis operum genere materia adhiberi nequit, quin disponatur, poliatur, aptetur; quod proculdubio in concionibus, aliisque sermonibus locum habere magis debet, cum ea, quæ ibi pertractantur, argumenta longe inter se differunt, ac distant. Exempli gratia, in quodam volumine de alia quappiam re pertractante insignis aliquis affulget locus, qui ad illud, quod præ manibus est, argumentum opportune traduci potest: hoccine fieri potest, quin verba, aut sensus aliquantulum inflectantur? Ita auctores, quorum loci a nobis afferentur, subirasci nobis minime debent, neque nos tamquam rerum suarum falsarios insimulare, si aliquot lineolas obtruncatas viderint, ut brevitati consuleretur; vel aliquot adjectas offenderint, ut ipsorum sententia majorem in lucem vocaretur; non enim ea nobis est mens, ut censoria nota aliquid expungere, aut castigare, sed imitari, atque egregium aliquem locum ex ipsis mutuari velimus; immo potius non injucundum illis accidere debet, eam mihi in eorum operibus facultatem usurpasse, quam & ipsi fortasse in alienis sibi vindicarunt. 2. Neque mirum esse debet, si omnes illi delecti loci non æque venusti sint, atque nitentes: persuasum enim omnibus est, ea quæcumque in sermone aliquo continentur, non esse ejusdem roboris, & venustatis, quemadmodum in tabula non omnes colores æqualiter nitent: quidam enim ibi obscuri ad umbras exprimendas, atque ut ex eorum oppositione alii magis effulgeant, requiruntur, & quodvis argumentum modo prorsus diverso pertractandum est, nisi forte rebus in omnibus characterem sublimem affectas. Respondere nihilominus possum, me nihil ex auctore quoppiam delegisse, ubi non inveniretur aliquid singulare seu propter sententiam, seu propter eamdem efferendi varietatem, leporemque, seu propter characterem egregie expressum; quod si non omnia ejusdem erunt speciei, ac dignitatis, nihil tamen humile inveniri, quod humi repat, ac orationi dedecus, ac virium possit afferre. Neque negotium alieni facessere debet styli diversitas; hi enim loci ex variis auctoribus deprompti sunt, quorum singuli suam habent cogitandi, scribendique rationem. Illud autem a me evitari nullatenus potuit, quod videlicet, quemadmodum auctores, ex quibus loci desumpti sunt, in eamdem sententiam concurrunt, ac verbis tantum differunt, iisque schematum lenociniis, quibus cuique illam placuit efferre, accidit nonnumquam, ut sententia eadem aliter, atque aliter expressa pluribus in paginis inveniatur. At enim nonne satius fuisset hæc omnia deinceps collocari, quin ita transferrentur, vel eamdem sententiam semel tantum proferre? Id æquius futurum fuisse non diffiteor; at certe consilio meo minus aptum fuisset, quippe hoc mihi propositum est, ut non solum varias in idem argumentum sententias, verum etiam varias ejusdem sententiæ efferendæ rationes afferrem. Cæterum quantum legentibus nauseam movisset videre eodem in loco rem eamdem aliis aliisque verbis recoctam!

Unum tantummodo mihi reliquum est diluendum, in quo non satis video, qua ratione excusare me possim, nisi aperte fatear, mihi nequaquam felicius ingenium esse, neque in hoc scribendi genere magis exercitum, quam illis, qui ante me molam eamdem versarunt, qui sæpius lapsi sunt, ubi auctores, & eorum opera, ex quibus sua compilarant, citandi fuere. Diligentissimus quisque, & illi ipsi, qui optimorum Criticorum laudem sunt nacti, decepti nonnunquam fuere, aliosque deceperunt, qui ipsos subsequuti sunt alium pro alio auctorem desumentes, vel sententiæ alicujus locum negligentius, ac falso notantes. Igitur me ipsum hoc errore non purgo, qui certe inevitabilis videbitur in tot auctorum collectione, tot operum citatione, ac tanta varietate, qua auctores opera sua diviserunt. Fierine posset, ut ne unus quidem error obrepsisset? Quid tamen hac in re ceperim consilii, nunc afferam. Quod ad Scripturæ locos pertinet, eos ad unguem protuli, & vario charactere notandos curavi; ubi vero brevitatis gratia, vel ut sententiæ perspicuitati consulerem, ea, quæ distabant, conjungenda fuere, atque aliter efferenda, margini quidem locum adscripsi, in contextu vero nullam characterum mutationem fieri volui. In locis vero sanctorum Patrum afferendis non adeo religiosus, & diligens fui; affirmare tamen audeo, ubi brevitatis ergo illos de verbo ad verbum exscribendos esse non censui, me tamen adnisum fuisse, ut hoc sine sententiarum detrimento efficeretur. Verum cum ea, quæ a me afferuntur, in ipso fonte lecta minime fuerint, loci illi, quos fidei auctorum, qui eos collegerant, innixus attuli, a me ad unguem descripti fuerunt; & fieri potest, ut editionum, & ordinis ipsius, quem interpretes, atque critici sanctorum Patrum operibus tribuerunt, quemadmodum S. Augustini, Ambrosii, aliorumque libris accidit, varietas efficiat, ut in eo, qui memoratur, loco minime inveniantur; qua in re tamen lectorem monitum volo, in collectaneis mei sanctorum Patrum locos juxta primævas, antiquasque editiones citari. Quod vero ad neotericos auctores spectat, ex quibus decerpsimus aliqua, pro certo haberi potest, illos in memoratis libris, & locis inventum iri, quamvis paulo immutatos propter eas rationes, quas superius attulimus. Operæ tamen pretium non duximus semper locum, caput, vel articulum proferre, ubi sunt inveniendi.

PRO-

PROLEGOMENON PRIMUM.

DE HODIERNA CONCIONANDI RATIONE.

QUantumvis incuriosius, & oscitantius advertatur animus ad eam concionandi rationem, quæ proximis hisce temporibus invaluit, innotescet facile, in omnibus fere ab ea discrepare, quæ elapsi sæculi initio obtinuerat, & quæ quinquaginta circiter ante hanc diem annis omnino ferme obsolevit. Quamobrem dicere audeo, si Dei verbum semper fuit idem cum propter eas, quas docet veritates, tum propter finem, quem sibi proponit, populorum videlicet institutionem, & conversionem animarum; hodie prorsus esse immutatum quoad formam, atque rationem illud enuntiandi; atque per varias quodammodo ætates traductum ad illum tandem perfectionis gradum pervenisse, quem admiramur, & qui a nobis pro virili tuendus est. Cum autem ego ipse viderim, immo etiam utrumque concionandi morem fuerim expertus; necnon variis subinde temporibus celeberrimos oratores audiverim; & ad hæc, meliorem vitæ meæ partem expenderim in iis legendis, & notandis, quæ aptiora arbitratus sum, ut ex hac divini verbi enuntiandi ratione fructus quam uberrimus perciperetur, operæ factutum me pretium ratus sum, si illis, qui hujusmodi sacris initiari cupiunt, quibus concionum elaborandarum ingentem hic materiam exhibeo, paucis etiam indigitarem formam, vel saltem ideam, quam ipse concepi de moralibus concionibus, quæ passim magis utiles, atque necessariæ censentur; quia recta ad conversionem morum, bonorumque operum exercitationem tendunt. Etenim, licet Deus ille sit, qui magnos hos in animabus operatur effectus, & gratia ejusdem eam imprimat vim, quam omnes simul rhetorum canones, & penitiora artis arcana producere nequeunt; attamen nihil oratori prætermittendum est, quo minus omnibus naturæ, atque artis subsidiis utatur, ut mentes quidem persuadeat, animos vero commoveat; qui finis est oratoris. Igitur tutæ, certæque ad magnum hunc assequendum effectum requiruntur regulæ; docet enim experientia, non semper concedere Deum peccatorum convertendorum gratiam illis, qui artem omnem contemnunt, & non præcepta, non ordinem in concionibus habendis tuentur. Quin autem verba faciam de qualitatibus, quæ in iis requiruntur, qui sanctum hoc ministerium cupiunt exercere; utque prætermittam ingenii vim, naturæque bona, quæ nihilominus in hoc munere obeundo principem habere locum, & summæ necessitatis esse videntur; ea leviter tantum attingam, quæ ad artem pertinent moralem, christianumque sermonem elaborandi, juxta præsentis temporis consuetudinem. Primum vero meum esse puto cum veteris, tum recentioris concionandi rationis obiter defectus notare; quin ideo ausim tot præstantissimos oratores perstringere, ac improbare, qui conciones suas in vulgus edidere, in quibus ea, quæ dicturus sum, animadverti. Hæc tamen in lucem prodire passus non essem, nisi viros doctissimos, disertissimosque consuluissem, quorum sententiam secutus sum.

Primum igitur fateor, jure optimo plurima ex veteri concionandi ratione fuisse antiquata, hodie meliorem methodum institui; æquius argui; ad propositum finem recta tendi; solidioribus principiis sacras orationes fulciri; argumenta melius deduci, ac illa, quæ auditorem utilius movere possunt, eloquentius efferri. Verum dissimulare non possum, plurima mutata, vel amputata fuisse, unde sane magna verbo Dei ponderis fiebat accessio. Quidam Scripturæ loci pathetice prolati, atque explicati hodie obsoleverunt; neque proferuntur amplius varii illi sensus, quos sancti Patres illis tradiderunt; quæ res latissimum profecto sternebat campum, ut oratoris sese effunderet copia, & instrueretur auditor. Negare non ausim sensum aliquem hodie ornatius pertractari, ac veritatem aliquam majorem in lucem proferri, sed magna illa vis eloquentiæ, qua mentes rapiebantur, ac potentes illi motus, qui peccatorem sternebant, qua in re nonnulli præteriti temporis concionatores excellebant, non sunt amplius ita frequentes, quia non pertractantur amplius præcipue christianæ religionis veritates; sed ut novitate dicendi laus comparetur, nova quoque argumenta quæruntur, quę occasionem quidem tribuunt eam moralis partem tractandi, quæ minus trita est, sed quæ minus est movendis animis apta.

Esto quidem ex concionibus aliquis fructus quæratur, neque nuperi veteribus zelo cedant concionatores: verum mihi persuadere non possum, uberioris fructus percipiendi rationem esse solemnioribus tantum festivitatibus, quibus maximorum religionis mysteriorum memoria recolitur, de his pauca facere verba in exordijs, reliquumque sermonem ad morum disciplinam convertere; ut qui sacro Dominicæ nativitatis, vel resurrectionis die de pœnitentia, & de morte in peccato loquuntur. Quod alia in occasione non inutile videretur, in hac absonum est. Plurimi etiam hodierna die illud audacter usurpasse videntur, quod olim tamquam perperam factum improbabatur; omnia videlicet argumentorum genera ad quodlibet evangelium trahunt, vel longis verborum ambagibus, vel ope violentæ alicujus sanctorum Patrum interpretationis. Sæpe animadverti, auditorem ægre pati eos, a quibus ita eluditur; & opus esse, ut aliquid ipsam expectationem superans inveniatur, ne oratori succenseat; auditor, qui tunc concionem disertissimam esse non negabit quidem, sed extra tempus, locumque irrupisse contendet. Et sane quantumvis bonus, scitusque sit aliquis sermo, tunc melior certe, & eloquentior videtur, cum opportune, & loco suo accidit; & quod tempori aptius, & accommodatius est argumentum, hoc etiam videtur acceptius.

Ut autem huc afferam meam de moralis concionis forma, & constructione sententiam, methodus vetustissima, & quæ diutissime in ecclesia viguit, est homilia, quæ mera est evangelii explicatio non alium ordinem, nexumque secuta, quam factorum, & dogmatum, quæ in ipso continentur evangelio. Hac sane methodo, quæ simplicissima habetur, omnes fere Patres sunt usi; neque dubitaverit quispiam unctionis plurimum eidem inesse, eamque ad pietatem ciendam, fovendamque videri accommodatissimam, cum magno sit ingenio elaborata, necnon ardentis zeli igne succensa. Methodum hanc hodie eruditi quidam viri excoluere, eique argumenti unitatem, ac probationes ad eumdem scopum collimantes non sine vulgatium concionum ornamentis addidere. Quibus hoc accidit, ut ita Evangelio sua connectere possint argumenta, ibique rationes, ac probationes eorum, quę confirmanda proponunt, invenire, hi profecto omne punctum ferunt: sed cum hoc fortuito solum occurrat, neque certæ methodi hujus artes tradi queant, hæc argumenta felicia, fortunataque appello. Vellem enim semper præstantissimæ huic methodo hærere; hoc profecto esset vim inferre Evangelicis verbis ad argumentum propositum detorquendis, ac interim missas facere probationes magis obvias, ac faciles, quæ longe melius veritatem ostendunt.

Si nostris hisce temporibus argumenti electione minus torquemur, quam olim; audeo tamen dicere, arctiores a nobis orationi cancellos constitui, atque abscindi plurima, quæ olim in concionis partem accessissent. Satis enim est elapsi sæculi fortuito sermonum scriptores adire, ut primo statim intuitu sese legentibus offerant quamplurimi historiarum flosculi, prophanorum auctorum sententiæ, populorum leges, & consuetudines, rerum physicarum scitę animadversiones, quarum supellex nonnumquam omnem concionum probationem, ornatumque præbebat: atque tempus fuit, cum didicisse

cisse Plinium, atque Plutarchum, idem erat, ac summam sacri oratoris laudem occupasse. Hodierna die suggestus charissima religione dignior effectus est; & nisi inde omnigenæ eruditionis copia auditur amplius; eruditio tamen, quæ tantopere ostentabatur, ad mores formandos minimum proderat. Jure ergo igni, & aqua interdictum est superfluis id genus ornamentis; nisi forte obiter aliquid ex eo fonte delibetur; non enim hoc magis deducere puto, quam elegantem afferre similitudinem, atque disertam allegoriam concinnare.

Vanæ huic scientiæ ostentationi alia concionandi methodus successit nihilo sequior, & quæ nihilo secius de suggestu concionandi rationem corrupit; tunc enim verbo Dei subrogatæ fuerunt sententiæ fallaci nitore commendatæ, atque ex longinquis regionibus in Galliam advectæ, quæ satis diu hic obtinuerunt. Hoc autem nomine appello applicationes verborum Spiritus Sancti, quæ sine ulla auctoritate fiebant; Scripturæ locos in alium sensum detortos, ac locutiones emphatice prolatas, & ex auctoribus, quos sæculi barbaries aliter loqui coegit, decerptas: adnitebantur enim concionatores sententiarum eorumdem nitorem assequi, & aliquod acumen nancisci in mystico verborum ambitu, nihil sæpe significantium. Tandem aliquando optimo dicendi, sciendique gustu resflorescente, videlicet cum in sermonibus id quæsti cœpit, quod solidum est, prior ille nitentium sententiarum amor obsolevit; & hæc loquendi ratio maxime simplex ad ipsas etiam divisiones sese extendit, quæ non sunt amplius, ut olim, adeo exquisitæ, &, ut ita dicam, calamistratæ, sed eorum, quæ dicenda sunt, apertiorem adstruunt ideam, ita ut inde æquissimum de sermonis soliditate feratur judicium.

Hac naturali divisione vetus concionandi ratio cœpit reformari; sed evenit, ut qui methodi amantiores fuere, quique in sermonibus magis diligentem ordinem sequi voluere, confusionem illis offuderunt, in tot partes dividentes, ac subdividentes membratim propositiones suas, ut ferme utilius fuisset nullam prorsus divisionem afferre. Hec etiam methodus e scholis accersita, tanquam salebrosa nimis, atque impedita tandem explosa fuit; neque enim satis amplum eloquentiæ campum præbebat, neque patiebatur, ut singulæ probationes in eam, quæ par erat, magnitudinem extenderentur, ne oratio in immensum opus excresceret. Generatim, hæc temporum nostrorum concionatoribus laus est tribuenda, quod concionandi rationem eo provexerint, ut nulla in re elapso concedat sæculo, sed illud in argumentorum delectu, concionum dispositione, dicendique vi longissime superet. Loquor autem de ea tantummodo perfectione, quam ars potuit comparare; naturæ enim bona, devotio, pathetica pronunciandi ratio, qualia in veteribus extiterint, a nobis existimari non possunt, nisi ex fide illius celebritatis, quæ ad nos usque descendit, & quam editi ab ipsis sermones hodierna die tueri non possent: ægre enim illos etiam pati possumus, qui olim tanta cum laude, populorumque plausu fuerunt excepti.

At seu hoc rerum omnium sit fatum, ut cum ad extremum perfectionis apicem pervenerint, paullatim excidant; seu ab iis corrumpantur, qui eas longius provehere student: mea quidem fert opinio, sacram eloquentiam jamjam in senium vergere, ac sensim interituram, nisi nullorum delicato nimis ingenio obices statuantur. Hæc autem ea sunt, quæ hac in re censui notanda.

Primum omnium qui sermonem expolire nimium cupit, illi plurimum roboris, ac majestatis aufert, immo etiam quidquid in ipso ad persuadendum, movendumque est accommodatius. Incipit enim sanctorum Patrum auctoritates abscondere, latinos Scripturæ locos, Sanctorum facta, & exempla, atque argumenta latius paulo pertractata prœterire, ut locus pateat morali morę, quę sermonis, ac locutionum elegantia tantum suffulta, non alium obtinere poteſt effectum, quam ad breve tempus auditorum aures palpare, mentisque aciem perstringere; post quæ nihil reliquum supereſt, ajebat non ita pridem magnus quidam antistes, quam plausus ille, veluti cum exquisitissimus muficarum fidium modulos excepimus; quam pulchrum! quam suave! sed nihil ex iis, quæ audita sunt, ac primum obtinent locum verba facere prætermittamus; illud tantum attingam, quod ab arte pendet, & eloquentia, ut communia, sæpe inanes vitiorum umbras impugnat; penitiores humani cordis latebras, sinusque consulit, ut ibi inveniat flagitia, & affectus, quorum effectus sese extrinsecus minime produnt; atque ad sciti moralis philosophi autam captandam eos sibi mores effingit, qui in usu non sunt; & publica insectari vitia detrectat, ut particularibus hæreat, quorum eum characterem, censuramque comminiscitur, qui ad paucissimos spectat. Non desunt alii, qui ut ad magna sese exemplaria componant, in populi cœtu ea dicunt, quæ in aula dicenda essent, quasi mortales omnes iisdem sceleribus essent obnoxii, & potissimum concionatoris officium non esset morum doctrinam auditorum suorum qualitati, & captui accommodare. Si quæ in volumine aliquo edita est, probro huic non adeo patet; hanc tamen reor mortalibus omnibus esse debere communem, quia liber in manus mortalium omnium potest deferri.

Non ideo tamen omnem sermonis elegantiam, ubi desit adfectatio, neque morum hypotiposin, quæ character vocatur, neque vitiorum censuram censeo proscribendam: in iis enim excessus tantummodo damnandus est.

Injuria quoque censoria nota omnes morum descriptiones perstringerentur; eæ quippe nimium sunt necessariæ: sed parcius adhibendæ sunt, non necessariæ: sed parcius adhibendæ sunt, non necessariæ: sed parcius adhibendæ sunt, non occasio, congerendæ. Hæc autem concionandi ratio satis diu summo cum plausu excepta fuit, ut integri sermones extiterint, qui nihil aliud præterea complectebantur. Hæc etiam paulatim obsolevit consuetudo, atque intellectum est, antequam veritas aliqua solidis probaretur argumentis, characteres hos, qui opportune, importune ingeruntur, & invectivas, quibus libenter adhibet aures populus, sæpe ansam præbere malignis interpretibus, qui eas præsentibus, & absentibus applicant, quæ res nonnumquam grave aliquod concionatoribus negotium facessit. Eorum profecto labor, ac tempus impenderentur utilius, si morbi causa detecta, medicinam proponerent, atque ad eam amplectendam adhortarentur. Adde, has sæculi morum picturas, cum ad exiguum sane mortalium numerum spectent, quam primum exhauriri; quid enim inquient illi, qui hac insistunt via, post frequentes, prolixasque omnium statuum, omniumque conditionum inductiones, ut contra omnia scelera invehendi occasionem arripiant? Nonne hujusmodi concionatorum vicissim æquissimum characterem facere possemus, dicentes, duos, vel tres illis pulchertimas esse conciones, ubi universam morum disciplinam complectuntur; sed quemadmodum eandem semper tundunt incudem, eademque mutatis tantum vocabulis recitant, ita satis esse bis, vel ter eos audivisse.

Non desunt alii, qui hunc evitaturi defectum in alium prorsus oppositum decidunt: adeo enim pauca tot verborum ambitu dicunt, ut auditoris mens inanis remaneat, postquam prolixam audiit concionem, quæ propositi argumenti summum, ut ita dicam, florem delibavit. Cum enim absoluta concione discedimus, neque magnum aliquem de concionatoris ingenio conceptum imbibimus animo, neque vitę rationem immutandi consilium inimus, nisi gratię virtus suppleat sermonis imbecillitati; quod nonnunquam iis prædicatoribus accidit, qui magna sanctitatis laude florebant. Sed extraordinarius hic effectus non expectatur ab illis, qui quin argumentum sibi propositum solide tractent, vel quin ea saltem dicant, quæ præcipua, & validiora sunt, exiles nullius momenti circumstantias consectantur, vel sermonem in duplicem, eamque satis levem confiderationem partiuntur, quæ vim magnam obtinere non possunt.

Opus est ergo ad magnum hunc consequendum effectum tutos afferre canones, rectamque methodum instituere; docet enim experientia, Deum nequaquam semper conversionem concedere peccatorum illis, qui hæc negligunt, atque in sermonibus suis nullam methodum, nullasque regulas consectantur. Ut autem missa faciamus, quæcumque pertinent ad eas dispositiones, & qualitates, quæ in concionatore quæruntur, ut satis digne tanto munere perfungantur, utque de ingenio, aliisque naturæ bonis, quæ huic muneri obeundo necessaria sunt, ac primum obtinent locum verba facere prætermittamus; illud tantum attingam, quod ab arte pendet, & eloquentia, ut mo-

moralis concio, & christianus sermo habeatur.

Ex quo homiliarum usus fere penitus antiquatus est, quæ quidem concionandi ratio est vetustissima; subinde in sacros suggestus variæ invectæ sunt methodi, de quibus hactenus sermo; verum cum aliæ quidem parum solidæ, aliæ vero inutili, molestaque eruditione refertæ judicatæ fuerint; quædam etiam nimium theoreticæ, & aliæ denique nimis magnificæ, & menti oblectandæ, quam cordi movendo aptiores; rediit tandem nostra hæc ætas ad priscorum oratorum ingenium, atque intellexit, in eo positam esse veram eloquentiam, ut veritas aliqua solidis probetur argumentis, atque in lucem, quam meretur, naturalibus rationibus, & ex ipsa, de qua agitur, re petitis, afferatur. Et profecto inani labore alia tentabitur via, ut orator in auditorum animos irrepat, ibique, quod contendit, evincat. Ad hæc cum argumenta, de quibus ex suggestu sermo est habendus, maximæ sint necessitatis, ut quicumque audiunt illa, ibi suam nanciscantur utilitatem; atque dicenti latiorem eloquentiæ campum aperiant, nemo sane mentis objiciet, si veteres oratores imitati tutiorem sequamur methodum, eamque ad christianas veritates probandas aptiorem; quemadmodum nemini visum est netas, quod veterum templa numinibus dicata in usus nostros fuerint conversa.

Verum quamquam ad veterum oratorum eloquentiam hac in re propius accessimus, & hæc ætas plurima eloquentiæ opera edidit veteribus minime posthabenda, negari profecto nequit, tanum adhuc discriminis interesse, sive argumenta, quæ pertractantur, sive ordo, ac dispositio, quæ servantur, seu finis propositus consideretur, ut dici vero possit hoc orationis genus omnino aliud esse, aliisque, quam Ciceronis, Fabiique præceptis indigere. Verum quidem est, pium, atque eruditissimum Ludovicum Granatensem, aliosque nonnullos ad artem, methodumque sacram redegisse eloquentiam, neque eas prætermisisse regulas, quæ magnæ esse possunt utilitatis; verum nunquam peculiaria quædam tetigerunt acu, ita ut animadversiones, quas afferam, non inutiles censeam futuras. Has autem ad tria potissimum capita redige, electionem videlicet, ac dispositionem argumenti in morali concione pertractandi; illud amplificandi, probandique rationem; ac tandem ad elocutionem, ac stylum in hujus generis orationibus adhibendum; quin de pronunciatione, ac gestu verba faciam, quæ satis omnibus comperta, exploratæque sunt, & in quibus, quid novi afferam, mihi non suppetit.

Pro electione argumenti, quod in morali concione tractandum assumit orator, id intelligo, quod Rhetores propositionem, & partitionem appellant, vel divisionem sermonis in sua membra distribuendi, ut ilie institutum ordo, quem nos secuturos pollicemur, ut ad propositam metam deveniamus, & illuc deducamus auditorem; quod cuilibet orationum generi non commune solum, verum etiam est necessarium. Sed in morali sermone plurima sunt diligentius advertenda, quæ si desint, numquam justa erit oratio, neque plurimum afferet fructum.

Illud autem principem locum obtinere mihi videtur, si oratori tamquam præcipua regula traditur, ut ea dicat, quæ proposito argumento minime abludant, multo magis cavendum esse, ut ipsum quoque argumentum loco, ac tempori accidat opportunum: videlicet ne nimis longe ad proprium diei, vel temporis argumentum trahatur, ita ut fallat auditorem de hac, vel illa veritate verba sibi fieri expectantem. Alibi ostendi, hujusmodi importunas conciones, quæ auditorum expectationem frustrantur, non satis æquum de concionatorum eloquentia conceptum adstruere; & sane affirmare possum me non esse solum, qui abnormem hanc agendi rationem fastidiat; sæpe enim mihi audire contigit, doctissimos viros a concione abeuntes cum indignatione, qui se cohibere non potuerunt, quominus dicerent, bonum hoc esset, si esset opportunum; elaboratum sane opus est, & ab auctore in deliciis habitum; quod illum minime puduit extra omnem locum, tempusque proferre. Et sane quidquid majori tornarum cura potest afferri, longe majoribus laudibus exciperetur, si non vi facta irrumperet, sed sese ultro offerret.

Non inde sequitur tamen, ad hoc ut justum sit, aptumque argumentum, satis esse, ut sponte ex Evangelio ejus diei fluat, & loco, tempori, audentibusque conveniat (quæ omnia quam diligentissime sunt adventanda); opus deinde est, ut quasdam habeat conditiones, quæ non in omnibus mortalibus veritatibus inveniuntur. Has autem conditiones triplici verbo complector. Opus est, ut probanda veritas, quæ pro concionis argumento usurpatur, simplex, ac determinata sit, atque ad auditorem erudiendum, ædificandumque collimet. Illud tamen simplex, unicumque dicitur argumentum, non quod dividi nequit; cum enim efficere debeat corpus orationis, omnes illi suppeditare partes, & membra debet juxta varias rationes, quibus spectari potest; veluti cum de pœnitentia verba facimus, consideramus possumus illius necessitatem, conditiones, quæ in ea requiruntur, & utilitates, quæ ex ea percipiuntur. Hoc simplex est argumentum, virtus, ex qua moralem veritatem elicere possumus, quæ tot partes, seu puncta habeat, quot ad justæ orationis materiam suggerendam sufficiant. Conditio altera, quæ determinatum quærit argumentum, excludit ea, quæ vaga sunt, in quibus nihil certum, ac distinctum est, & quæ menti confusam tantummodo virtutis, aut vitii ideam repræsentant; qualia essent, si quis de christiani hominis officiis generatim loqueretur, quin adderet, quo in statu, vel occasione; vel de linguæ vitiis, quæ plurima sunt, & quorum singula concioni integræ materiam possunt suppeditare: vel de viis ad salutem deducentibus, aliisque id genus plurimis, quæ sunt libri, vel tractatus cujusdam magis propria argumenta, quam sermonis, qui unitatem habere debet magis specificam, minusque late patentem. Hæc eadem simplicitas excludit etiam argumenta omnia, quæ ad plura transferri possunt subjecta, vel quæ tot partes complectuntur, ut nulla potior ratio de aliis sermonem velit instituti, quales sunt sermones illi, quibus hic appingitur titulus: *Ratio sese ad talem festum diem, vel tale mysterium præparandi*; hæ quippe rationes ubique eædem sunt, quod dici non potest de præparatione ad sacram Synaxim recipiendam, quæ peculiaris est actio, atque propriam de præcepto exigit dispositionem, ut digne hoc munere perfungamur. Hac denique argumenti simplicitate, vel unitate exploduntur conciones illæ, quę tot alias complectuntur, quot partes habent, eo quod nullo inter se vinculo continentur, neque ulla ratione sibi cohærent. Ita me olim audisse memini quamdam de restitutione orationem, cujus punctum primum de usurpatorum, vel injuste raptorum bonorum restitutione agebat; alterum de alienæ existimationis restitutione, cui per obtrectationem labes fuerit offusa; tertium de injuria per scandalum proximo illata. Justæ concionis regulas cum nequaquam affectum, oportet, qui in hunc errorem labitur recto sensui prorsus oppositum.

Sed multiplicitatem in argumenti electione evitantibus quam diligenter cavendum est, ne in aliud extremum ruant, videlicet ne adeo arctos sibi cancellos circumscribere velint, ut latius sese extendere nequeant sine aliorum argumentorum ope, ut ad dicendum parem copiam inveniant; quod illi facere tenentur, qui sese ad aliquas actionis, vel parabolæ Evangelicæ circumstantias coarctant. Ut concionis argumentum justum sit, complecti debet, quidquid magis necessarium est, & ad vim animis inferendam accommodatum. Similiter non desunt argumenta quædam, quæ moralis concionis partem aliquam efficere possunt, at concionem omnem explere minime possunt; qualia essent percurrere occasiones magis obvias exercendæ erga proximum charitatis, vel suggerere media ad virtutem aliquam indipiscendam utilia, quin pro argumento hæc eadem virtus sumatur, atque mox hęc ipsa illius acquirendę media inferantur, quæ inductioni instituendæ, & copię ad argumentum distinctius pertractandum suggerendę videntur aptiora.

Tertium denique, & illud præcipuum in moralis argumenti electione considerandum hoc est, quod illi nomen dedit; videlicet ut ad erudiendos auditorum mores tendat, ut inde ad vitam suam rite instituendam, atque in salutis via proficiendum, ubertimum fructum percipere possit. Hac re concio christiana ab academica oratione, nonnumquam aliquam morum quæstionem pertractante, quæ ad politiam potius, ac reipublicę bonum tamquam finem refertur, potissimum distinguitur. Hæ si rite considerentur conditiones, non ita facile in errorem impelli poterit concionis eli-

gens argumentum, quod continere debet moralem practicam, audientibus congruam, & quæ ad æternam salutem indipiscendam adducat. Sin autem in argumentorum copia, quæ in eodem Evangelio se se possunt offerre, consilii hæreas incertus; ego auctor ero semper, ut magnas, ac præcipuas religionis christianæ veritates anteferas, tum pro auditoris utilitate, qui iisdem magis movetur, cum ipsius concionatoris habita ratione, cui major suppetit ad has egregie tractandas supellex; neque illi negotium facessere debet, utrum argumenta hæc sint nimis obvia, ac æpius repetita, neque enim nimis alte mentibus imprimi.

Ab argumento, & moralis christianæque concionis propositione ad dispositionem gradum facio, quæ illi cum reliquis omnibus orationibus communis est; quod nequaquam prohibet quominus hæc divisio, quæ concionis structuram delineat, & ostendit, quod contendat orator, peculiares canones habeat religiosius, quam in cæteris partibus observandos; facile quippe, ne vulgatum dicam, est aberrare extra argumenti cancellos evagando, atque morum disciplinæ partem aliquam ultra, quam par est, producendo; qua in re nostrorum temporum conciones & æquiores videntur, & præ veteribus ad sequendum, atque retinendum faciliores. Hæc enim partitio, quemadmodum ab artis institutoribus appellatur, vix percipi potest in eloquentissimis Græcorum, Latinorumque scriptorum, quæ nobis supersunt, orationibus, quamvis quicumque de orationis conficiendæ methodo pertractarunt, illam hac in re potissimum, tamquam maxime necessaria ad illius pulchritudinem, & elegantiam constituerunt. Nescio vero, quo consilio, vel arte celeberrimi oratores effecerint, ut nisi diligentissime adhibeatur attentio, vix, ac ne vix quidem structura illa, & partitio possit deprehendi; & paucissimæ orationes occurrant, ubi liquido, & palam distinguatur. Quod enim spectat ad sanctorum Patrum homilias, diversæ Evangelii, quod explicant, partes omnem earum partitionem constituunt; quamobrem illæ nequaquam in orationum loco sunt habendæ, sed potius veluti commentarii, & sensuum, verborumque Biblicorum explanationes existimandæ. Non desunt profecto ad artis præcepta elaborati sermones inter opera sanctorum Chrysostomi, Basilii, & Gregorii Nazianzeni, sed illi ætatis suæ consuetudini se se conformarunt; ibi enim divisiones vix deprehendere licet, & sæpe argumentorum, quæ ibi tractantur, varietas efficit, ut nos ipsi partitionem in illis statuamus, vel credamus, voluisse illos sibimet eum ordinem, quem sunt secuti, præscribere.

Hæc autem divisio, quæ proprie orationem justam facit, ubi eam diligentissime sequatur orator, suas habet regulas satis exploratas, & quas huc afferre operæ pretium non reor. Hoc unum ajo, per ea membra, vel partes oppositas, quæ in ea requiruntur, non esse intelligendam semper antithesim elaboratam, ac ut plurimum affectationem redolentem; sed satis est, ut hæc membra aliquam inter se rationem habeant, tamquam effectuum ad causam, vel argumentum ex variis locis spectari possit, quorum unum cum alio non congruat; & hæc divisio sit simplex, naturalis, atque ita argumenti propria, ut statim intelligatur in proposito argumento nihil validius, solidius, utiliusque inveniri, quin negotium tibi facesset, utrum ante te alii hac eadem partitione usi fuerint. Concionatores ex S. Hilarii sententia eumdem Ecclesiæ agrum excolunt, omnes idem virtutum semen effundunt, vitiorum autem convellunt. Quid interest ergo, utrum eadem ratione hoc plures exequantur: Ea ratio, qua quilibet suam instituit orationem, eamque exornat, semper satis est varia, nisi quis plagii reus ex alio describere malit, vel nimis fideliter, ne dicam serviliter, illum imitari. Verum profecto est concionem illam, cujus est felix divisio, non exiguam in elucubratione facilitatem habere; sed illæ etiam partitiones, quæ nimium nitentes sunt, & conquisitæ, vel sub variis rationibus consideratæ, tenebras, & caliginem orationi offundere, & efficere, ut minus intelligatur, multum pollicentur, & sublimem adstruunt ideam, cui ea, quę sequuntur, non semper respondent: quod naturale est in hoc etiam, ut in reliquis, maxime placet, atque majori excipitur plausu.

Ubi moralis concionis argumentum ita expositum fuerit, atque divisum, descendendum est ad probationem propositæ veritatis, atque ad delineatæ structuræ elucubrationem, quam rhetores præcipuam, & maxime necessariam orationis partem faciunt; bene deducere, bene probare, bene veritatem argumentis fulcire, ut inde necessariæ erui possint illationes. Non hanc mihi arrogo provinciam ut hoc in loco singillatim edocere velim, quid sit narratio, quid amplificatio, quid confirmatio; neque peculiariter fontes innuere, locosque, unde concionis educi possint argumenta. Sed quemadmodum probandi ratio omnino differt ab ea, quæ in profanis orationibus adhibetur, & hic erudiendus sit auditor de veritate ad salutem necessaria, vel persuadendus de aliquo moralis disciplinæ præcepto ad vitam conformandam pertinili, vel ad alicujus virtutis praxin impellendus, hoc unum dico, probationes ex solidis rationibus esse desumendas, ex Scripturarum auctoritate, ex Sanctorum Patrum testimonio, ex constanti Ecclesiæ consuetudine, ac traditione, & nonnumquam etiam ex Sanctorum exemplo, quorum insigniora facta, atque nostræ conditioni accommodatiora nobis ipsis tamquam tot exemplaria sunt proponenda. Id unum agitur, ut scite, ac opportune hę afferantur rationes, quarum singulæ suam vim, suum pondus habent. Hęc autem, mea quidem sententia, optima est dispositio, quæ sermoni alicui tribui potest; videlicet ut singula puncta, vel quelibet concionis pars in duas, vel tres solidas, optimasque rationes secetur, quarum quæ posteriores sunt, prioribus fiat validiores. Probabimus, exempli gratia, pœnitentiam, & conversionem differendam non esse; primum quia in discrimen adducimur, ne nos umquam pœniteat; secundo, quia pœnitentia hac dilatione fit difficilior; tertio quia periculum est, ne ad extremum usque vitæ finem dilata rite fiat, ideoque magna timendi causa, ne si fiat, inutilis sit. Tres ipsæ rationes eloquenter expolitæ, & amplificatæ orationem efficient bene repletam, atque propriis, naturalibusque rationibus comprobatam. Verum opus est, ut hæ rationes diserte, ac oratorie, non autem scholastice, atque theologice; hoc est aridam, jejunaque locutione in lucem suam proferantur. Ad hæc fulciendæ sunt Scripturarum auctoritate, Patrum sententiis, comparationibus, ac similitudinibus, quibus nihil humile, nihil abjectum fit, exornandæ, & solidis perspicuisque animadversionibus, quæ simul & ornamento sint, & probatione, amplificandæ. Postquam vero omnia ad justam magnitudinem fuerint amplificata, tunc de una ad aliam rationem gradum facere debet orator, postquam auditorem suum ad eam disposuerit, & sensim illuc deduxerit.

Hæc amplificandæ, ornandęque moralis concionis ratio una omnium maxime solida mihi videtur; tandem enim, si cuilibet concionatori hic propositus finis esse debet, ut persuadeat, concionator ullam ne tutiorem invenire viam potest, ut ad eum finem perveniat, quam argumentationem; quandoquidem homo nonnisi allatis rationibus potest persuaderi? Sed ne nimium jugi ratiocinatione, quæ assiduam exigat mentis attentionem, fatigetur auditor, miscenda est rationi auctoritas; atque illud subinde animo reputandum est, quod argumentari, & adferre argumenta inter se longo discrepant intervallo; oratorie enim argumentari est argumentum amplificare, in lucem suam proferre, omnemque illius vim, ac robur explicare; argumenta vero argumentis agglomerare, quin eorum aliquod amplificetur, idem est ac arcta via inter confertam populi turbam progredi velle; ibi enim potius impediris, quam progrediaris, ac citius ad propositum finem pervenires, si omnes singillatim, ac unus post alium incederent. Hoc ut omnia verbo complectar, auditorem obruere potius est, quam erudire. Illi igitur enuncianda primum veritas est, ac sensim in illius animum immittenda, tempusque permittendum, quo eam mente assequatur, ut ibi impressionem efficere possit.

Non desunt concionatores aliter probationes suas commutantes; primam enim orationis suæ partem Scripturæ auctoritate confirmant, cujus efferunt locos, exempleque selectiora; alteram vero probant sententiis Patrum, quorum auctoritas maximi ponderis est in Ecclesia; tertiam denique validis rationibus roborant. Unam eamdemque, ut plurimum, veritatem pertractant, & unam, eamdemque propositionem, quam triplici hoc probationis genere statuunt; illis enim persuasum est, se hoc pacto ea colligere omnia, quæ sunt vali-

diora, christianæ coetioni aptiora, & ad animos fidelium movendos utiliora. Ambigere nemo potest, quominus hæc concionandi ratio sit solida: auctor tamen, orator non essem, ut huic mordicus vellem inhærere: fatigatur enim auditor locorum idem affirmantium congerie; & quæcumque adhibeatur cura in iis disponendis, ut semper majus orationi robur accedat, hujusmodi citationes tædium gignunt, quæ non ita facile retineri possunt, ut rationes, quæ altius infiguntur animo, prout majorem ibi impressionem efficiunt. Quod vero ad sacra pertinet Biblia, quæ proprie Dei verbum sunt, illis nova ponderis sit accessio, cum explicantur, atque enucleantur opposita argumentationem, quæ omnem vim eorum ostendant.

Id unum diligentissime curandum est, ut rationes, quibus veritas proposita confirmatur, simplices sint, & argumenti propriæ. Simplices eas voco, quæ sensato viro sese statim offerunt, non eas, quæ nimis longe ductæ sunt, atque seria meditatione opus fuit, ut excogitarentur; argumenti vero proprias appello eas, quæ directe probant, quin oporteat ex aliis magis generalibus principiis illas inferre; veluti si ex majori Dei gloria peteres argumentum, quo jejunium, & corporis mortificationem necessariam esse probares. Hæc ratio neque directe, neque immediate eam probat conclusionem, quam inde elicere cupis; ratio enim maxime simplex, & naturalis est, corpus domandum esse, ac spiritui subjiciendum; jejunium vero ad illud subigendum viam esse magis propriam, atque communem. Hoc si feceris, evitabis paralogismos, atque sophismata, quæ omnes odio plusquam varriano oderunt; inde enim sequitur, ut oratio tota in irritum cedat, nihilque probet, cum nimis probare contendit. Itaque quantumvis speciosa primo statim intuitu ratio aliqua videatur, semper diligentius ad examen est revocanda, utrum vera sit, an ad fallendum apta potius, quam ad persuadendum; utrum vere concludat, & ullo modo possit impugnari. Omnibus enim probata veritas hæc esse debet, orationi nullam vim, nullumque robur inesse, nisi quod ex iis probationibus, quibus fulcitur, recipere potest. Quibus addo, cavendum, ne sub hoc soliditatis prætextu rationes nimium theoreticæ sint, & abstractæ, atque ex reconditioris Theologiæ penu deprompte. Quamobrem quemadmodum morale tractatur argumentum, ita opus est, ut illius pertractandi ratio moralis sit, videlicet facilis, auditorum captui accommodata, sensibilibus probata argumentis ex ipsa rerum experientia, & iis, quæ inter homines accidunt, petitis. Quod si quædam Theologica sint immiscenda, concionatoris interest ea ita explanare, omnesque voces scholam redolentes amovere, ut, quid illæ sibi velint, quærendum non sit.

Quod attinet ad Scripturæ, sanctorumque Patrum auctoritatem, & exempla sanctorum, unde lux aliqua, & robur accedere possit propositæ veritati, superius jam monui, concionem illis non esse ita infarciendam, ut locorum, & auctoritatum congeries videatur potius, quam jugis oratio. Verum inanis, ac irridendus timor est metuere, ne orationis filum abrumpatur aliqua Scripturarum voce, vel aliqua sanctorum Patrum sententia, & affectationem sapit a consuetudine, quæ apud omnes late percrebuit, prorsus abhorrere; præterquamquod hoc pacto non externum christianæ eloquentiæ subsidium abscitur; linquet enim, Spiritus Sancti verba peculiarem vim habere; & hoc persuasum esse debet, sanctorum Patrum locos majorem vim habituros, quam quidquid ex nobis, proprioque marte dicere possumus, quantumvis sit Scripturæ, sanctorumque Doctorum sensibus congruum. Sanciat igitur, e suggestu prorsus profanorum auctorum proscriptisque nomina, factaque ex historiis decerpta, quibus præterit facili conciones erant referre. Interest enim majestatis concionatoriæ, ac sacri oratoris, qui Patrum Ecclesiæ doctrinam explicare profitetur, nonnumquam saltem eorum afferre verba; ac dummodo id mediocriter fiat, non reor, illa prætermitti posse, non secus ac aliquando afferenda esse puto sanctorum exempla, cum delecta sunt, ac apposita conditioni eorum, ad quos sermo est, quoniam exempla ut plurimum majorem vim habent, quam argumenta ad animos ad virtutis alicujus exercitationem impellendos. Saltem nos docet experientia, ea libentius audiri, facilius retineri, & fortasse majorem impressionem efficere.

Hæc ea sunt, quæ pertinent ad rationem amplificandi, probandique moralem veritatem, quæ alioquin æque abhorrere debet ab utroque extremo, quo fructus inde percipiendus potest præpediri. Ita hi duo sunt scopuli a concionatore quam diligentissime evitandi. Alter est eorum, qui arctioris morum disciplinæ aurum captaturi, quale est hodierna die plurimorum ingenium, strictiores consectantur sententias, atque opiniones, quæ sunt dubiæ, tuentur, dummodo sint severiores. Hoc sæculi ingenium est; hominibus placet sermo de austerissimis veteris disciplinæ regulis, quod concionatores impellit, ut extremum rigorem affectent. At qui severas hasce opiniones adoptant, non semper sanctiores, doctioresque sunt, non secus ac illi, qui eas audire oblectantur, non ideo tamen illas exercere desiderant. Evangelicæ veritates prædicandæ sunt quales sunt, ac illud cogitandum est, quod qui ab auditoribus exigit ultra id, quod ab illis præscribitur, eos potius a veris officiis suis avertit, quam ad altiorem perfectionis gradum adducat. Scopulus alter longe magis periculosus est, atque manifesta esset sacri ministerii prævaricatio, laxiorem morum disciplinam fovere, ac humanæ infirmitati plura concedere, quam Evangelium, Ecclesia, & communis Doctorum consensus illi permittant. Prudens, doctusque concionator æque utrumque scopulum evitare debet, tum laxiores, tum severiores sententias effugere, sed veritatem, ut est, exhibere, omnesque ad eam sequendam, qualis esse potest, excitare.

Hic tantummodo mihi restat actus, ut aliquid de stili genere, ac ornamentis, quæ in concionibus adhiberi possunt, pauca dicam. Qua in re dissimulare nequeo, hodiernam concionandi rationem, quæ jure elapsorum sæculorum consuetudini est præferenda, paulatim a veterum oratorum, quos imitari conata est, methodo degenerare. Emundata est Ecclesiastica eloquentia a profana illa eruditione, quæ olim ibi erat in deliciis; proscripiæ sunt sententiæ illæ fallaci nitore commendatæ, quas tamdiu concionatores deperiere; remotæ sunt scholasticæ salebræ, atque ratio invecta est, qua oratio fieret simul justa, solida, & elegans. Sed nimia fortasse elegantia eloquentiam, ac dicendi vim fecit enervem; & audeo dicere, ea, quæ inani eruditioni, dicendi acumini, ac abstractæ Theologiæ substituta fuere, nequaquam tuto ad eum finem adducere, quem in concionibus proponere sibi debet orator: plerique enim calamistratas, beneque comptas orationes efficiunt, qui aptas ad movendum, ac docendum conciones afferre deberent. In hujusmodi sermonibus eximia deprehenduntur ornamenta, locutiones exquisitæ, sermo nobilis, ac floridus, qui a carceribus ad metam semper effulgeat. Ita ut cum de cogitandi rectitudine, & componendi peritia sermo est, vulgo de elocutione, non autem de ordine, argumentis, sententiis, ac rebus, quæ pertractantur, intelligatur. Ego equidem, si quod hac in re sentio, dicere fas est, vereor, ne nimis bene, ac eleganter omnia elaborare cupientes corrumpant omnia; & qui post nos venturi sunt, ut extremum perfectionis gradum Ecclesiasticæ tribuant eloquentiæ, plures defectus nostros emendare teneantur, quemadmodum nos quoque superioris sæculi defectus plures de medio sustulimus. Hæc igitur sunt, quæ hac in re mihi visa sunt præceptis artis, & doctissimorum virorum sententiæ adversantia.

Fateor equidem e suggestu scite, ac eleganter esse loquendum; sermo enim, & elocutio partem eloquentiæ constituit, & hoc sane adepti sumus, ut dicendi barbaries, incuriosa negligentia ferri ultra non potest. Verum quemadmodum meminisse oportet; hanc esse debere christianam eloquentiam, & proposito sibi fini conformem, ita naturalis esse debet, magnifica, fortis, ac citra omnem affectationem: sese in animum viam aperire debet, ibique eos excitare sensus, quibus oratorem ipsum affectum esse opus est. Unde tria sunt inferenda, quæ totidem præcepta sunt ab artis hujus institutoribus tradita.

Primum, verba rebus exprimendis esse accommodanda. Sublimes, ingentesque res magnificum, ac sublimem dicendi characterem exposcunt; quod vero inservit, ut auditor ad aliquid majus præparetur, communibus, ac naturalibus vocabulis est exprimendum: alioquin, si omnia sunt magna, nihil injicit admirationem; & ubi omnia niteant, nulli rei peculiariter humanus animus hæret. Et profecto si sedulo veterum oratorum elucubrationes in-

inspicias, quædam negligere, ac oscitanter proferre videntur, ut quæ majoris sunt momenti potissimum elucescant, pictores imitatii, qui tabulis suis umbras allinunt, neque ubique coloribus iisdem utuntur. Itaque in absolutissimis etiam celeberrimorum scriptorum orationibus partes quasdam nanciscimur, quæ longius eminent, & aliæ, quæ ad id unum inserviunt, ut illæ magis, magisque niteant; cum in plerisque concionibus, quæ nunc habentur, nihil peculiariter auditoris attentionem conciliet, quia orator illum ubique attentum desiderat; omnia nitescere vult, præstare omnia, in minimis etiam non deesse spiritum, ac vim, ac sublimem dicendi characterem æque ubique effulgere. Hac sublimis, & uniformis styli affectatione vetus eloquentia a naturali ea pulchritudine cœpit degenerare, quam in primis oratoribus admiramur, & quæ hodie paulatim corrumpitur, eo quod flores, ut ita dicam, & ornatus ubique serere cupiunt.

Quod secundo loco ex hoc eodem principio arbitror esse inferendum, illud est, quod falsam concionis ideam sibi efformat, qui putat, ut felici eventu in id incumbere possit, satis esse, sermonis elegantia pollere; & hoc unum omnis scientiæ, ac doctrinæ locum obtinere, quin illud quærat, utrum oratio sanguine, & succo repleta sit, utrum argumentum sit rite delectum, argumenta valida sint, ac probantia, dummodo conceptus sui belle tornati sint, eosque feliciter exprimant; hoc eloquenter concionari nuncupant. Hinc nonnumquam suggestum conscendere videmus homines omni scientia destitutos, Scripturarum, sanctorumque Patrum doctrina penitus vacuos, in Theologiæ studiis rudes, & hospites, & ipsius etiam arguendi facultatis ignaros. Sed mundum norunt, illius consuetudinem, moresque diligentius inspexerunt, ideoque toti sunt in morum descriptionibus efficiendis, ac vitiis, quæ ibi graffantur, luculenter tamquam in tabula exhibendis; nihilque præterea in illorum concionibus invenitur. Sed licet hujusmodi descriptiones ex eorum ornatuum sint numero, quos usurpat eloquentia, ut sibi auditoris attentionem conciliet, & qui in oratione locum habere possunt; abusus est, ac bipalmaris error, in hoc laudem orationis statuere, quæ laudanda non est, nisi persuadeat, & moveat. Hæ autem picturæ, ac graphicæ descriptiones, quantumvis ad verum elaboratæ sint, possunt quidem exhibere mores, & vitia, at illa emendare non possunt, neque persuadere ab illis recedendum: non enim ad vitam mutandam impellunt, neque peccati metum, & horrorem inspirant. Hinc fit, ut a concione tales redeamus, quales ad illam accessimus; neque alius inde fructus percipitur, nisi injusta concionatoris existimatio, cujus elegantia, spiritus, & luculenta dicendi ratio laudatur. Nequaquam, iterum dico, concionis artificium in hoc nequaquam positum est, sed in eo, ut a vitiis deterreat, & ad virtutem amplectendam impellat, atque disciplinæ moralis præcepta doceat; qua in re longe plura quæruntur, quam delectæ dicendi rationes, ac rerum inania verba, quemadmodum vetus nescio quis auctor illa vocat. Sed qui sapiunt, numquam improbabunt illum, qui in suo immoratur argumento, qui inde omnem, quam continet, doctrinam elicit, ac illud in quamcumque partem vertet, ut audientium animo validius infigat, atque potenter ad malum quidem effugiendum, bonum vero consectandum horretur; quandoquidem hic finis est moralis concionis, non autem mundi vias aperire de nulla ferme alia re verba faciendo, quam de illius vertutis, commerciis, solatiis, quæ opportunis, importunisque ingeruntur inductionibus, quæ nullum inveniunt finem, auditoremque fatigant.

Tertio, ac postremo inferendum est (quod ipsum, qui eloquentiæ præcepta scriptis edidere, etiam, atque etiam monitum voluere) nimis exquisitam, tornatamque dicendi rationem minus aptam esse ad movendum, & persuadendum, quam magis simplex fit, minusque elaborata locutio: docet enim experientia, mentem illis attentam dicendi floculis, quibus orator sensus suos exprimit, quodammodo ab ea distrahi attentione, quam integram rebus, de quibus agitur, opus esset impendi. Hoc ipsum, quilibet in sanctis Patribus, antiquisque oratoribus, qui varii argumenti opera reliquerunt, per se deprehendere potest: eorum videlicet conciones, publicosque sermones, quos orationes vocant, minori cura expolitos esse, ac minus diligenti elocutione conscriptos, quam libros, atque tractatus, quos in varia argumenta edidere; cum enim orationes hasce recitare deberent, quærebant potius quomodo persuaderent, quam placerent; metuebantque, ne auditoram mens verbis potius vacaret, quam rebus, de quibus erant erudiendi. Non idem de libris, tractatibusque judicium ferebant; ibi enim per tempus lectores attendere possunt & iis, quæ docentur, & vocibus, quibus illa exprimuntur.

Hic autem Canon nequaquam minus est necessarius ad auditorem movendum, quam ad persuadendum; sicuti enim moralis concio flexanima debet esse, non alia ratione magis alios movere potest orator, quam si ipse commotus sit, iisque sensibus hæreat, quos excitare studet in aliis. Quis autem illam ex corde loqui arbitrabitur, qui non loquatur lingua cordis, quæ ab omni artis fuco, & omnibus verborum lenociniis abhorret? Qui misericordia motus est, vel acri dolore percitus, vel alio quopiam agitatus affectu, quem in aliis ciere desiderat, naturaliter sensus suos exprimit: natura tunc ipsa loquitur, mens id unum occupata, ut sensus cordis aperiat, non cogitat antitheta, non verborum lusus inquirit, neque eos ambitus scrutatur, qui sese dicenti sponte non offerunt. Studio, ac meditatione opus est, ut hæc inveniantur; quod profecto abhorret ab eo, quo tunc agitamur, affectu; & hæc, mea quidem sententia, ratio est, propter quam ex concionibus hodierna die adeo modicus fructus percipitur. Diligentius conquiruntur verba, & calamistrati sermones, quam pondera argumentorum, quin illud attendatur, sermonis finem esse solidis persuadere rationibus, & movere animos naturali quidem, vividaque eloquentia, sed nobili simul, magnifica, ac Dei verbo congrua; qualis erat olim in ore Prophetarum, quæ vera sunt concionatoribus ad imitandum proposita exempla.

PROLEGOMENON ALTERUM.

De ratione imitandi notæ melioris Concionatores.

ANimadversionibus superiori dissertatione propositis de hodierna concionandi ratione finem impositurus operæ me facturum duxi pretium, si non prætermitterem, quod maxime necessarium, ac utile dicendi, scribendique magistri censuere, eorum videlicet imitationem, qui in utroque genere tamquam exemplaria absolutissima habentur. Mihi autem non ea mens est, ut Aristotelis, Tullii, Fabiique afferam præcepta, sed illa ad argumenta Ecclesiasticis concionibus propria transferam in eo, quod ad orationis elucubrandæ rationem pertinet; quin de pronunciatione verba faciam, in qua sacra eloquentia forensi, & academicæ minime præstat. Quamobrem qui sacro divini verbi enuntiandi ministerio initiandi sunt, ut cœptis eventus respondeat, illis primum persuasum esse debet, esse imitandum; deinde nosse, quid sibi ad imitandum proponere debeant, optimo eorum concionatorum delectu, ad quorum exempla sese conformare adnitantur; & demum intelligere, quomodo imitandum sit. Circa quæ tria versantur animadversiones, quas doctissimorum virorum consilio, & auctoritate aliis adjeci animadversionibus, quas in quodlibet concionum genus in sermonum meorum præfationibus edidi.

1. Ut quis in concionandi arte, non secus ac in reliquis, præstet, necessum omnino est, ut eos imitetur, qui majorem nominis celebritatem sibi pepererunt. Hoc autem a nemine in dubium vocandum esse putarem, nisi plurimos cognovissem, qui gloriæ sibi vertentes a nullius exemplis pendere, ac marte suo omnia elaborare, quidquid in lucem edunt, ad inventionis palmam anhelant, imitationis honorem aliis relinquentes, eo usque ut docto-

rum omnium judicium ſibi æquum putent futurum, ſi perſuadere poſſunt, aliquid novi a ſe in arte fuiſſe adinventum; a ſe ita operum ſuorum auctores eſſe, ut nihil alicui acceptum referre teneantur, ſimiles hac in re eximiis pictoribus, qui naturam tantummodo inſpiciunt, aliorumque opificum negligunt exemplaria. Alios imitari, inquiunt illi, idem eſt ac fateri, ſe nihil marte ſuo in medium proferre poſſe; id enim aliunde mutuaris, quod domi tuæ minime poſſides.

Si, qui ita loquuntur, adeo felici eſſent ingenio, ut alienis luminibus non indigerent contenti propriis, ad hoc a benigna natura efformati, ut aliis in exemplum proponerentur, gratularer equidem ob tantum hoc boni, quo divinitus cumulati fuerunt; iiſque id dicerem, quod magnus ille Pontifex concionatori cuidam, quem de altiſſimis religionis noſtræ myſteriis admirabili eloquentia diſſerentem audiverat: Hauri aquam e ciſterna tua, & bibe ex rivulis de tuo fonte manentibus: id memento ſolum, ut & aliis hanc copiam communices, ac in publicam utilitatem finas effluere. Sed cum pauciſſimi inveniantur hujus ingenii, & adeo fœcundæ mentis homines, quibus nihil aliunde fit mutuandum, qui non hac vi pollent, neque tantam ſibi eloquentiam compararunt, quanta in concionaturo requiritur, alieno egent auxilio: nihil facere, conarive poſſunt, quod præſentis temporis guſtum ſapiat, quin ob eorum oculos illuſtria verſentur exempla, ut id perficiant, quod natura rudi quadam informatione inchoavit.

Hoc autem non eſt ita proprium ſeu profanæ, ſeu ſacræ eloquentiæ, ut commune minime ſit cum omnibus artibus, quarum vel ipſa rudimenta percipi nequeunt, quin alius doceat, unde incipiendum, & quænam regulæ ſervandæ ſint, ut opus ad perfectionem ſuam deducatur. Pictores omnes nonne præſtantiſſimorum opificum alumnos fuiſſe gloriantur? Sculptores, & architecti nonne ſequuntur hi quidem ſibi delineata veſtigia, illi vero authographos, qui ob oculos ipſorum verſantur? Nonne ars ipſa naturam imitatur? & ars, quæcumque illa ſit, aliquid ne perfectum producere poteſt, quin excolatur, & quin ad id pervenire contendat, quod in eodem genere numeris omnibus eſt abſolutiſſimum? In ſcientiis, non ſecus ac in artibus, ad proficiendum alienis egemus auxiliis. Philoſophia, Theologia, Medicina, Aſtronomia ad eum ne apicem, quem aſſecutæ ſunt, perveniſſent, niſi a peritiſſimis artium magiſtris præclara relicta fuiſſent præcepta? & niſi eorum diſcipuli commendabili æmulatione illorum veſtigia diligenter legiſſent? alioquin enim ſcientiæ omnes in primæ originis imperfectione ſubſtitiiſſent. Nonne tandem in ipſa virtute perficimur? Nonne ab cultorum, piorumque vivorum exemplis ipſam morum diſciplinam haurimus? Ut verbo me expediam; quodcumque boni exemplum in terris parit, nonne late per imitationem communicatur?

Tantum profecto abeſt, quod eloquentia, preſertim vero Eccleſiaſtica, communi hac lege minime teneatur, ut immo affirmare poſſimus, hanc nullibi magis eſſe neceſſariam, quam in hac arte, quę docet ſibi in hominum cor aditum aperire, affectus permovere, eoſque vel ciere, vel lenire, prout feret voluntas; ut enim hoc e voto cedat, natura opus eſt, & induſtria, ingenio, & arte, vi, ac verſutia, ut in animos ſeſe inſinuet orator, ut perſuadeat, ut moveat; quod tutius, faciliuſque diſci non poteſt, niſi accuratius ea perpendantur, quæ hos effectus gignere conſueverunt. Quamobrem ex omnibus præceptis, quæ a rhetoribus ad id traduntur, principem locum obtinet imitatio. At enim, numquid experientia admirabilem artem hanc nos edocere non poteſt? Poteſt quidem procul dubio plurimum opis afferre; ſed vix totus vitæ brevis curriculus ſufficere poſſet ad experientiam hanc acquirendam. Studium quoque, ac præcepta plurimum proſunt; at viam hanc priori minus longam non eſſe noſtis. Brevior igitur via, & compendioſa methodus eſt exemplum; neque niſi per imitationem ad praxin redigi poteſt exemplum. Supponendum eſt igitur, eloquentiæ latifundia naturam eſſe, ingeniumque, eam vero ab arte perfici per exercitationem, atque imitationem. Plurimum quidem, quis neget? prodeſt exercitatio, ac vulgo dicunt, rytonem temporis beneficio magiſtrum fieri; ſed præ cæteris omnibus magis prodeſt imitatio; hæc enim ideas noſtras dirigit, hæc mentem attollit, hæc defectus omnes corrigit, hæc ſupplet iis omnibus, quæ deſunt, hæc tandem efficit, ut brevi temporis intervallo ingentes progreſſus efficiamus: ita ut mihi perſuaſum ſit, eum, cui vel mediocre ſit ingenium, optimum oratorem evaſurum, ſi præſtantiſſima tantum exemplaria ſibi imitanda proponeret.

Hoc ipſum probare poſſem ſummorum virorum, qui in hac arte enituerunt, teſtimonio. Unum tamen eligo, ſed pluribus parem, eum videlicet, qui præſtantiſſima nobis de ſublimi dicendi genere præcepta reliquit. Multi alieno ſpiritu concitati, numine perinde afflantur „ atque Pythia dicitur, „ cum ad tripoda accedit, ubi eſt terræ caverna, „ ex qua, ut ajunt, anhelitus divinus exit, quo ea „ repleta vim divinam, & poteſtatem conſequitur, „ & ex eo divino inflatu ſtatim oracula fundit; „ ſic ab antiquorum naturali animi magnitudine, „ ac præſtantia, tamquam ex oribus ſacris, fluxiones quædam permanant ad eorum animos, „ qui illos imitantur, a quibus ipſi ſpiritu afflati „ ſed non valde infantentes, aliorum magnitudine „ divinitus concitantur.

Itaque affirmare, ut quis in concionandi arte excellens evadat, ſummos illi imitandos eſſe concionatores, idem eſt, ac ad Eccleſiaſticam transferre eloquentiam præceptum, quod omnes bene dicendi magiſtri ad eloquentiam generatim indipiſcendam tradidere; idem eſt, ac ſeſe dedere eorum teſtimonio, qui temporum ſuorum habiti ſunt eloquentiſſimi, qui prius fuerunt diſcipuli, quam magiſtri, & qui loqui alios audiendo, & præſtantiſſimorum auctorum, qui eos præceſſerunt, ſcripta legendo didicerunt. Quamobrem non verebor uti comparatione cujuſdam celeberrimi ætatis noſtræ concionatoris, qui ajebat, hos homines, qui ingenium ſatis commune habentes nihil habere volunt cum aliis commune, hos homines, inquam, aranejs ſimiles eſſe, qui ſemetipſos exhaurium, ut ex ſui ipſorum ſubſtantia telam ordiantur, qua muſcas tantummodo illaqueant; cum interim apes floſculos delibantes inde ceram, ac mel elaborant. Nihil dicam de veritate, quæ adeo patet, ac nitet, contentus indigitandi illis, qui hoc ſtadium ingrediuntur, quinam illi ſint concionatores, ad quorum exemplum ſeipſos conformare debeant, & quid ſit imitandum in illis, qui proponuntur in exemplum; qua in re plurima ſunt animadvertenda.

Nemo ſtatim non videt, eos, qui in hoc eloquentię genere maxime floruerunt, ad imitandum eſſe proponendos; etenim quemadmodum naturaliter quilibet in arte ſua perfectus eſſe deſiderat, ita perfectiſſimorum exemplis hærere debet, ac toto pectore in id incumbere, ut ſe illis quam ſimillimum præbeat. Præſtanciſſimos autem concionatores intelligo, qui recta cor ipſum pervadunt, & quorum ſermones morum excipit immutatio, non autem illos, quos auditorum grex ſequitur, & quorum fructus in inani plauſu, potiuſquam in peccatorum converſione, & juſtorum conſolatione conſiſtit. Hic non inſtituo ſermonem, ut divini verbi præcones excitem ad ſeſe tanto munere dignos præbendum. Equidem ſcio, cœli gratiam, opinionem, quæ de concionatoris ſanctitate percrebuit, zelum, quo loquitur, aliaſque conditiones, quæ non ſemper pendent a nobis, magis ad ingentes hoſce effectus conferre, quam profit ars, ac ſtudium illius, qui divini ſpiritus organum tantummodo eſt; de eo loquor, quod hujus verbi miniſter ex ſe conferre debet, hoc eſt, de imitatione eorum, qui admirabilem hanc artem movendi cor invenerunt, ut videat orator, quam illi rationem ſequantur, ut veritatem altius humanis mentibus infigant. Hoc docet S. Auguſtinus cap. 3. & 5. de Doctrina Chriſtiana. Hoc unum addo, videlicet falli nos poſſe in concionatorum imitandorum delectu; qua in re ad errorem vitandum publicæ exiſtimationi inhærendum eſt, & judicandum de arboris qualitate ex fructibus, quos parit, ex effectibus, quos eorum conciones gignunt in nobis, ac denique conſulendi, qui ſanum, integerrimumque judicium ferre poſſunt.

At quæret ex me aliquis fortaſſe, utrum, poſtquam prudens habitus fuerit concionatorum delectus, uni dumtaxat hærendum ſit, an plures imitandi, qui etiamſi non eumdem perfectionis obtineant gradum, aliquid tamen eximium continent; alius quidem defæcatam, luculentamque eloquentiam, alius vim, atque motum, alius vero ordinem, ac diſpoſitionem. Cæterum cum perraro accidat,

cidat, ut omnibus numeris abſolutus inveniatur orator, qui illam exæquet ideam, quam nos ipſi mente fingere poſſumus, videntur a pluribus ea eſſe petenda, quæ in uno tantum inveniri non poſſunt. Hæc ait inſignis orator, glorioſuſque martyr Edmundus Campianus in exiguo tractatu, qui inter ejuſdem opera invenitur. Ille quidem de ſtylo tantum, & elocutione loquitur, ſed eadem argumenta pro reliquis etiam oratoriæ partibus apte concludunt. Tutius, ac facilius eſt uni acquieſcere, qui abſolutiſſimus habeatur, licet non æque excellat in omnibus, quam imitari plures, atque ut ita dicam, ex eorum ſpoliis diteſcere. Plurimę id ſuadent rationes.

Primo varii ſunt eloquentiæ characteres, ingenia varia, varię diſponendi, & tractandi argumenta rationes; ideoque operam ludere videtur, qui eas omnes in una, eademque perſona complecti contendit; ſæpe enim una aliam evertit, vel ſaltem excludit; neque vehemens, rapida, & figurata eloquentia cum ſtyli fluentis, ſuaviſque dulcedine poteſt conciliari. Itaque cum hæ ſcribendi, loquendique rationes in oratoribus æque differant, ut vocis tonus, nemo illas omnes imitari poteſt, quin alia aliam enervet, atque corrumpat, vel quin ex hac immixtione monſtroſum aliquid, & irregulare proficiſcatur; quapropter cum dicitur, ut quis perfectus evadat orator, illi præſtantiſſimos in arte imitandos eſſe, hoc intelligendum eſt habita ratione ingenii illius, qui imitatur. Si Tullius Demoſthenis characterem imitari voluiſſet, ſemper pugnantem, ac detonantem, numquam æque enituiſſet, ac ſuum ſecutus ingenium, illud Platonis, Iſocratis, aliorumque imitatione perficiens, quorum minus vehemens eſt eloquentia. Itaque ſuum corrumpit ingenium, ac proprias amittit vires, qui naturam ſuam exuit, ut induat alienam. Nonnullos novi, quibus imitatio coacta eripuit, quidquid boni erant a natura ſortiti, & qui, ſi illud excoluiſſent, ſummam laudem eſſent conſecuti; & alios, qui, eo quod e ſuggeſtu tonare voluerunt, Æſopi ranam imitati ſunt, quę ſeſe inflans tauri mugitum imitatura ſeſe diſrupit; & alios denique, qui, quod imitari voluerunt quoſdam concionatores, qui nominis celebritate florebant, in inſanam degenerarunt affectationem, quę omnia corrupit.

Adde his, pauciſſimos eſſe adeo ſolidi judicii, emunctæque naris, ut bonum a malo in iis, quos audiunt, valeant ſeçernere; nec deeſſe, qui ex omnibus aliquid in rem ſuam velint convertere, tamquam corpora variis innutrita alimentis, vel quæ pluribus ſeſe ingurgitant, quam quos digerere poſſint; ſuffocant enim calorem naturalem, & quin ex tot epulis contrarias habentibus qualitates aliquid in ſanguinem, ſuccumque tranferant ſuum, brevi ſuam vitiant valetudinem. Inde igitur cum prudentiſſimo oratore, quem nuper memoravimus, inferendum videtur, longe minus adeſſe periculum, unum tantummodo ſibi ad imitandum proponere, quam fieri velle Pandoram poetarum ſeſe omnibus ornamentis, quę in aliis deprehenduntur, excolendo.

Ego quidem huic conſilio, quod alioquin ſapientiſſimum, doctiſſimumque videtur, aliquod adjicere vellem temperamentum, ut videlicet omnibus quidem numeris concionator abſolutiſſimus eligeretur, cui hæreremus, quem manibus verſaremus, in cujus imitatione primam curam collocaremus, & quem, ut ita dicam, in ſingulos greſſus ſequeremur: verum cum vix, ac ne vix quidem perfectus, abſolutuſque in ſummo gradu eſſe poſſit, quandoquidem Cicero, Princeps ille Romanę eloquentiæ, dolebat, ipſum etiam Demoſthenem ideas ſuas non replere, neque auribus ſuis omnino ſatisfacere, non video, quod imminere periculum poſſit, ſi quod huic deeſt, mutuemur ex altero. Et ſane hic in argumentationibus ſuis preſtior eſt, ac vehementior, ſed major quædam elegantia nequaquam dedeceret illum, leniretque, quidquid durius aliquando illi excidit, quod delicatas aures offendit. Ille magno eloquentiæ flumine fertur, quo auditores nonnumquam rapiuntur; verum ſi unctio quædam, & quædam pietatis accederet ſpecies, quę virum Dei nomine loquentem maxime decet, longe uberrimum fructum referret. Alius in concionibus ſuis æquiſſime inſtituit argumentum, numquam a propoſito ſibi ſcopo deerrat; placet, & perſuadet; verum ſi paulo magis affectibus ciendis vacaret, nullus dubito, quominus conſcientias moveret. Igitur quod huic deeſt, ab alio pete, qui & ipſe ſuum meritum, ſuas laudes habeat. Inter plures, qui idem ſtadium currunt, ut plurimum accidit, ut alius alium aliqua in re ſuperet, ac rurſus in alia ab eodem ſuperetur. Itaque ſi ex duobus abſolutiſſimus fieri poteſt orator, quis vetat, ne imitemur, quidquid in utroque optimum judicabitur? Ita ex Ethnicis oratoribus Cicero Princeps eloquentiæ vocatur, eo quod imitatus eſt ſuavitatem Iſocratis, acumen Lyſiæ, numeroſam Æſchinis dictionem, ac pluribus in rebus Demoſthenis vim, qui omnes, quilibet in genere ſuo, præſtantiſſimi oratores fuerunt. Idem nonne in operibus ſuis expreſſum nobis reliquit characterem eorum, qui ipſum præceſſerant, & quos cognoverat? ita ut facile intelligamus, in illis imitandis oleum, & operam non perdidiſſe. Quis ergo prohibeat, ne hoc ipſum efficiamus cum eloquentiſſimis ætatis hujus concionatoribus? Quin enim de iis loquamur, qui vivunt adhuc, & qui nulla in re cedunt iis, quorum opera exiſtunt, recordamur, qua vi, ac vehementia detonaret P. Dellingendes, qua ſuavitate in animos obreperet P. Caſtillon: recordamur majeſtatem Sarlatenſis primum, mox vero Matiſconenſis Antiſtitis Dellingendes, eloquentem fluiditatem Petrogoricenſis Epiſcopi le Boux, patheticos motus Præſulis Aginenſis Joly; ſoliditatem Domni Biroat, & Patris Girouſt; elegantiam, ac pietatem P. Cheminais, rarafque aliorum plurimorum dotes, qui horum ætate floruerunt. Mihi perſuaſum eſt, eos, qui ſacro huic miniſterio initiari voluerint, in excellentiſſimorum horum virorum operibus inventuros, quod quiſque fecundum ingenium, voluptatem, ac talentum ſuum imitetur.

Neque tamen ex ſolis concionatoribus putes recte concionandi rationem edifci. Sacra Biblia, Patrum lectio, atque ipſum cum veteribus profanis oratoribus commercium miram afferre poſſunt utilitatem. Primum quidem in Scripturis præſtantiſſimæ occurrunt de Deo, divinique ejus perfectionibus ſententiæ: ſtyli ſimplicitas ſublimitati ejuſdem non officit; egregiæ adſunt virtutum, ac vitiorum imagines, & deſcriptiones ubique fere effuſæ, in Prophetis vero potiſſimum; neque melior concionatoribus, qui eloquentes eſſe cupiunt, tradi præceptor poteſt, quam idem Spiritus ſanctus, qui in ſacris loquitur monumentis. Itaque Sacra Scriptura fons eſt inexhauſtus divitiarum pro omni characterum dicendi varietate. Ad ſpiritum erigendum aptus eſt Iſaias; Jeremias recte cor ipſum aggreditur pathetico, animatoque dicendi genere; Ezechiel terrorem animis inſert, Daniel amorem, ac devotionem inſpirat; omneſque generatim Prophetę vim habent, granditatem, & naturalem eloquentiam, quam in profanis oratoribus fruſtra perquires. Ubi magis pios ſenſus invenies, quam in Davidicis Pſalmis? ubi morum doctrinam enucleatius, ac melius traditam, quam in Salomone? Ubi ſolidiores argumentationes, quam in Epiſtolis Pauli? quin de reliquis novi Teſtamenti ſcriptoribus loquar, quod eſt religionis noſtræ fundamentum, & continet quidquid populis eſt prædicandum. Verbo; Scriptura proprius eſſe debet concionatoris liber: inde mutuari debet arma, quibus contra vitia, omneſque Dei hoſtes confligat; hic liber eſt, quem meditari debet, ut illum poſſideat potius, quam imitetur. Quo plura inde haurit, eo melius concionatur; proprie enim Dei verbum annuntiare debet auditoribus ſuis; ac me jampridem audiviſſe memini dicentes, ut quis patheticus ſit, ac ſimul eloquens concionator, opus eſſe, ut nocturna verſaret manu, verſaretque diurna Prophetas omnes, Pſalmos David, ac S. Pauli Epiſtolas, quibus ſuo tempore, ac loco uti poſſet.

Quoad ſanctos Patres attinet, novi equidem quanam cum reverentia de magnis his viris ſermo habendus ſit, qui ætatis ſuæ fuerunt oracula, qui religionem ſuis humeris ſuſtinuerunt, ac Dei verbo vineam Domini excoluerunt. Nihil ergo melius fieri poſſe videtur, quam illos imitari, eorumque ſequi veſtigia. Deus avertat, quod ego eorum hoc in genere gloriam deterere audeam, vel debitas laudes denegare. Verum enim vero aliud judicium ferendum eſt de ſermonibus, quos nobis reliquere, ac de illorum moribus, & vita; non quod pluribus in rebus imitandi non ſint; etenim mihi arridet diſertiſſimi, prudentiſſimique noſtra hac ætate Scritoris * de illorum operibus teſtimonium hoc perhibentis: „ in ipſis major eloquentia deprehenditur, „ major elegantia, & ingenium; major vis, ac vehementia, amplificationes magis vividę, lepo- „ reſque

* De la Bruyere.

„ resque magis naturales, quam in plerisque hujus
„ temporis operibus niteant, quę cum voluptate
„ leguntur, & auctoribus suis gloriam, ac nominis
„ celebritatem conciliant. Verum si ex nostra scri-
„ bendi ratione de illis judicium ferre velimus, il-
„ los non omnes, neque in omnibus imitandos esse
„ innotescet. „ Eorum quidam sæculis parum cul-
tis, & fortasse rudibus etiam floruerunt; & quem-
madmodum sese temporum ingenio accommoda-
runt, nunc minime tuerentur existimationem, quam
tunc adepti fuerunt, nisi methodum, cogitandique
rationem inverterent. Diligenter igitur habendus
est eorum delectus, qui ad imitandum sunt propo-
nendi.

Ex Græcis Patribus Sancti Basilius, Gregorius
Nazianzenus, & Chrysostomus admirabili floruere
eloquentia; qua in re nemo inficias ire potest, ab
illis Latinos Patres fuisse superatos. Illorum profe-
cto sermones non eam methodum accurate servant,
quam hodierna die nore melioris concionatores se-
ctantur; verum vim habent, & elegantiam; argu-
menta naturalia sunt, scite deprompta, belle ex-
planata, ac ut plurimum ex Scripturis decerpta;
præsertim vero in D. Chrysostomo, cujus non sen-
tentiæ solum ad imitandum desumi possunt, verum
etiam earum efferendarum venustissima ratio, &
modus, quo moralem veritatem pertractat, & pro-
positum argumentum amplificat. Licet enim in ad-
hortationibus, quas post evangelii explanationem
habet ad populum, non semper in eadem veritate
immoretur, neque argumenti unitatem ea servet
diligentia, quę hodie consuevit haberi, quin immo
duo, vel tria nullo exquisito, ac eleganti nexu si-
mul conjuncta persequitur: attamen quidquid pro-
ponit, solidis rationibus probat, admirabili eloquen-
tia, quæ concionatoribus exemplo esse potest, ex-
ponit, & latius amplificat.

Latini Patres omnes ea scripserunt ætate, qua
eloquentia prorsus exciderat; quamobrem in eorum
sermonibus, quæ homiliæ ut plurimum sunt, in-
quirendus non est ordo ille, ac ornatus, qui in ho-
dierno usu sunt positi; multo minus artis, & ele-
gantię, quam Græci Patres habent; quod acceptum
referendum est vario sæculorum ingenio, moribus,
& gustibus hominum, qui non sunt semper iidem.
Hoc tamen non prohibet quominus pluribus in re-
bus sint imitandi; in sententiis, & conceptibus,
quorum plurimos, eosque pulcherrimos, ac solidis-
simos in Sanctis Cypriano, Ambrosio, & Augusti-
no reperies; in explicationibus locorum Scripturæ,
cui diligentissimam navabant operam, & quam me-
lius, quam nos, intelligebant: in moralibus consi-
derationibus, in quibus Sancti Augustinus, & Ber-
nardus excelluerunt, immo etiam in descriptioni-
bus malorum, ac scelerum, quæ ipsorum ætate
committebantur, quarum plures apud Salvianum,
Divumque Bernardum invenies: licet generatim di-
ci queat Latinorum Patrum sermones non esse opti-
ma eorum opera, & in quibus plura, quam in aliis,
occurrant imitanda.

Superest igitur, ut ad examen ea voceimus, quæ
hauriri possunt ex profanis oratoribus, & concionatoribus, quæ duobus elapsis retro sæculis floruerunt. Quod pertinet ad priores, liquet, Ecclesiasticæ eloquentię plurima esse communia cum forensi, & academica, ac plurima inveniri posse, quæ imitemur apud auctores, qui in utraque excelluerunt; atque argumentorum, quæ ibi tractantur, differentiam non prohibere, quominus scribendi, componendique ratio, æque ac dicendi, similis esse possit; quod circa imitationem obtineri non potest. Apud profanos autem, cum hi sint omnium vetustissimi, qui non præcepta solum eloquentiæ nobis tradiderint, sed qui ejusdem perfectissima nobis exempla reliquerint, quod facile intelligi potest ex absolutissimis orationibus, quæ superant adhuc, multa imitatione digna inveniuntur; & hac in re dicere possumus, licere, immo præclarum esse Ægyptum late depopulari, ut illius opibus populus Dei locuples fiat. Novi eruditissimum quemdam virum, ac supra ætatem doctissimum, qui ut concionandi ministerio sese præpararet, in Cicerone studebat rationi veritatis bene probandæ, ac in lucem afferendæ; cumque illi obiecissem, Ecclesiasticis argumentis nihil esse commune cum iis, quæ a præstantissimo hoc oratore tractantur: Verum quidem, est, reddidit ille; at hic rectum sensum admiror ubique nitentem; video quomodo rem suam persequatur, ubi causæ difficultas posita sit, statim deprehendat, & iis omnibus occurrat, quæ sibi objici posse prænoscit; quomodo rationes enucleet, atque aliter, aliterque efferat, donec tandem audientium animos pervadant. Hoc imitandum mihi propono, & hoc mihi erit utilius, quam magnificus aliorum sermo, qui in hac uno totam positam putant eloquentiam.

Redeo tandem ad concionatores eum veteres, tum recentiores inspecturus, quinam ex omnibus sit potissimum ad imitandum proponendus. Veterum nomine eos intelligo, qui intra ducentos, tercentosve ante hanc diem annos floruerunt. Verum est, reliquis omnibus in rebus antiquitatem laudibus celebrari consuevisse; sed cum de eloquentia agitur longe aliter se habere debet res: plurimi enim extant veteres sermonum scriptores, qui ætate sua summam sibi compararunt laudem, & quos vix hodie legendos esse censemus, de quibus æquius judicium, quod ferre possumus, est, si nostra hac ætate vixissent, methodum, elocutionem, cogitandique rationem prorsus fuisse immutaturos; in iis enim, quæ scripta reliquerunt, adeo parum artis, rectique sensus occurrit, res ex trivio desumptæ, & adeo pingui, ut ajunt, Minerva elaboratæ, ut ex illorum concionibus intelligere liceat, quantam ex eo tempore hæc studia perfectionem fuerint adepta. Cum vero nobis obtruduntur insignes illi fructus, quos prædicationis ministerio attulerunt, credendum est, zelum, fervoremque, quo verba animabant sua, præsertim vero sanctitatis eorumdem opinionem hanc illis auditorum turbam congessisse; vel potius Dei spiritum, qui infirmissimis etiam utitur instrumentis, ut admirabiles operetur effectus, sermonibus eorum vim, virtutemque adspiraſſe. Deinceps prout excoli cœperunt ingenia, eloquentia quoque perfectionem est assecuta; atque in Granatensi, & Osorio, aliisque elapsi sæculi nonnullis occurrunt amplificationes, argumenta, veritates enucleatæ, atque ut verbo me expediam, optimi characteris sermones. Verum plurima adhuc in illis reformanda supersunt, ut proponi possint veluti perfectissima exempla; longius processit ars, ac tandem eum eloquentiæ nitorem adepta est, quem adhuc in insignibus antiquitatis oratoribus admiramur. Verum si ea spectentur argumenta, quæ concionum materia sunt, affirmare audeo eximios hujus ætatis concionatores longe ad alios formandos aptiores esse, quam veteres illi oratores, quorum scripta eo sermone edita sunt, qui a nostrate procul abhorret, quæ si in aliud transferantur idioma, jam dimidium vis, ac venustatis amittunt.

Qui igitur concionibus frequenter adsunt, non solum ut sua perdiscant officia, sed ut se aliis vicissim erudiendis pares efficiant, in id attenti esse debent, quod ipsos movet; studere quomodo in hominum animos aditum sibi aperire possint; videre quomodo res præparatæ sint, atque dispositæ, ut quod in semet experiuntur, suis etiam auditoribus insperent. Neque satis esse putent vivam concionatorum vocem audire, mortuos etiam, vel eos, qui scriptis tantummodo concionantur, sedulo consulant, & ad eorum stylum inveniendi, disponendique rationes seipsos componant. Licet enim hæc opera non eam in animis obtineant vim, ac ea, quæ viva voce efferuntur, in illis e contra per tempus licet serio meditari, diligenter probationum pondus inspicere, ac denique ea, quæ placent, facile retinentur, ut ubi occasio tulerit, valeant usurpari.

Sin autem quæris, quid sit potissimum imitandum, sive præstantissimos concionatores legas, sive audias; nihil dicam de gestu, actione, totoque exteriori concionatoris habitu, licet hęc omnia plurimum conferant eloquentiæ; hæc enim pars oratoris, cui Demosthenes primas deferendas esse censebat, naturæ munus est, quod talentum vocatur, & quod ars ipsa perficere consuevit, præterquamquod nihil mihi suppetit precepti addendum, quæ rhetores hac in parte præscribunt, namque Ecclesiastica eloquentia hac in re nihil habet peculiare. Illos tantum admoneo, quibus in hoc non adeo benignam se præbuit natura, posse defectum hunc aliunde pensari, vel saltem corrigi studio, & imitatione, ut aliis bonis qualitatibus suppleatur.

Qui concionatorem audit, eumque imitari conatur, tria potissimum debet in illo animadvertere, inventionem videlicet, dispositionem, & elocutionem. Inventio respicit argumenta, quæ illi sibi tractanda proponit, & ea veritates, de quibus agere instituit. Quamobrem ad illum imitandum magnas ve-

veritates persequi opus est, quæ amplissimam præbent dicendi materiam, & afferendi ea, quæ moveant, ac auditores ad frugem valeant revocare; ea deligere argumenta, quæ tribuant occasionem aliquam moralis disciplinę parem in locem afferendi, & quæ auditores maxime moveat; necnon utilia curiosis, minusve communibus præferre. Dispositio complectitur concionis structuram, ordinemque, & quidquid ratio argumentum aliquod pertractandi appellatur.

Qui igitur solidum, methodicumque concionatorem proposuerit ad imitandum, ad hæc omnia animum appellere debet, ut argumenta, ac materiam, qua uti voluerit, scite disponat. Denique imitari debet stylum, naturales, vehementesque locutiones, schemata, ac orationis ornamenta ad persuadendum, movendumque auditorem aptissima; non oblitus opus esse, ut concionatoris stylus a quacumque affectatione, & nimis exquisita elegantia, quæ vim sermonis enervat, & auribus blanditur potius quam animos moveat, abhorreat. Itaque concionantem audiens discere debet concionatoriam elocutionem, quæ ab academica, & scholastica prorsus est alia, dicendi puritatem cum vi, ac dignitate conjungens; at non prohibens, quominus auditor simul æque & rebus, quæ afferuntur, & verbis, quibus efferuntur, attendat. Et profecto hoc neque postremum est, neque minus necessarium inter ea, quæ sunt imitanda; quandoquidem veteres oratores hoc ante cætera diligentissime consectabantur, quemadmodum ex Demosthene legimus, qui ut succo, nervisque plenum Thucididis stylum assequeretur, auctoris hujus historias septies manu propria conscripserat.

Hæc in bonis concionatoribus mihi videntur imitanda. Verum cum nihilominus perperam imitari possis, quod in se præstantissimum est, ac dignissimum, quod proponatur veluti exemplar illis, qui huic ministerio vacare cupiunt; tertio loco ajo, artem adesse bene imitandi concionatores; & artem hanc plurimos canones, plurimasque complecti observationes, quarum Princeps hęc est, hoc persuasum esse debere, sicuti nosse bene imitandi viam, via tutissima est, ut perfectus evadas, & illi simillimus, quem referre conaris; ita prava imitatione plerumque oratorem corrumpi, ac prohiberi, ne ad eam perfectionem perveniat, ad quam, hoc obice semoto, ingenio suo potuisset adniti. Quamobrem vulgo ajunt, & docet experientia, ab egregiis concionatoribus pessimos sæpe fieri, quia illorum defectus ad imitandum sibi proponunt; vel quia quod huic est naturale, invitum, coactumque in imitantibus est propter affectationem, quæ aliquid semper ridiculum continet. Et sane nihil est, in quod acrius, ac vehementius invehantur, qui eloquentię precepta ediderunt, quam in malam imitationem, quam *Cacoziliam* appellant. Ad hanc autem evitandam eos afferam defectus, in quos plerique labi consueverunt, mox fusius ea persecuturus, quæ ad bene imitandum sunt observanda.

Primus defectus per excessum committitur, cum adeo accurate alterius orationem imitamur, ut eam nobis vindicemus, vel totam, vel majorem illius partem usurpantes, quod plagium, furtumque, non autem imitatio vocatur. Plurimi sunt, qui sibi religioni minime vertunt hanc furti speciem, quę licet justitiæ legibus neque plectatur, neque vetetur, tamen turpissima habetur, & a doctis viris damnatur; & satis est plagii reum fuisse convictum, ut omnis prorsus existimationis fiat detrimentum, nullo unquam labore, ac nisu reparandum. Verum enim vero defectus iste, mea quidem sententia, venia dignus est tum in illis, qui animarum cura premuntur, & gregem suum divini verbi pane enutrire tenentur, sed plurimis distenti negotiis per tempus nequeunt elucubrari sermones; tum in iis, qui propter studii, doctrinæque defectum muneribus suis perfungi minime possent sine alieni laboris auxilio; tum denique in illis, qui vero zelo succensi hac ratione putant proximo se futuros; hunc enim sancte actionis meritum cum sermonis auctore partiuntur, qui sæpe hoc uno consilio elucubrationes suas publici juris fieri desiderat.

Defectus hic sese statim prodit; neque aliquis est, qui nigrum thita non affigat illi, qui plagiarius est, non imitator. At non deest alter huic geminus, neque minori vituperatione dignus, licet ab indoctioribus non ita facile deprehendatur: videlicet membratim hinc, inde locos decerpere, atque ex variis variorum auctorum sermonibus centonem assuere pictorum instar, qui nolentes haberi tamquam alienorum operum meri imitatores, ex hoc hominis imaginem, & alio aliam mutuantur figuram. Sciti tantummodo pictores intelligunt, unde membra singula fuerint desumpta, sed qui delineandi artem minus callent, vident earum partium congeriem tyronis alicujus esse, non viri omnibus artis numeris absoluti. Hos autem alienorum operum consarcinatores Cornicis fabella monere debet, quod ubi quilibet jure, quod suum est, poposcerit, nihil ipsis reliquum fore, quam pudorem, eo quod se plumis omnibus exutos irrideri conspicient.

Eorum tamen causam tueri hoc in loco debeo, qui plagii nomine possent insimulari, licet suo tantum jure utantur; in eo videlicet, quod ad argumenti seu moralium concionum, seu mysteriorum, seu panegyricarum orationum delectum spectat. Cum enim eadem semper de suggestu pertractentur argumenta, difficile fieri potest, ne dicam fieri omnino non posse, ut in ejusdem argumenti structura, systemate, ac divisione duo, pluresve simul conveniant; nisi forte ista divisio tot esset notis distincta, ut celeberrimi alicujus esse oratoris, qui primus eadem usus fuisset, palam cognosceretur. Alioquin hoc commune bonum est, in quo omnes jus habent, vel commune est argumentum, quod ab unoquoque potest elaborari. Forma dumtaxat, quę adhibetur, unum est operum, opificumque, qui manus illis addidere, discrimen.

Hoc mihi revocat in mentem satis facetam contentionem aliquot ante id tempus annis obortam inter concionatores duos, qui ætate sua magna nominis celebrate floruerunt, & quos merita sua insulis decorarunt. Alter, qui nondum Episcopatus munere insignitus erat, cum in Divi Andreæ, quem artium vocant, Domini Jesu Passionem prædicaret, pro textu illa delegit verba: *Manus omnium contra eum*, ejusque argumentum fuit triplici manu Dei filium percussum ea subiisse tormenta, quę in Evangelio narrantur; manu videlicet æterni Patris, qui talem ab eo satisfactionem exegerat; manu propria, quia seipsum obtulerat morti, omnibusque vehementioribus affectibus suis facultatem præbuerat cor suum confodiendi, affligendique; manu denique inimicorum, atque carnificum, a quibus in eum statum redactus fuit, quem Isaias descriptum reliquit. Cum hoc argumentum summo cum eruditæ caveæ plausu fuisset acceptum, delatum fuit ad concionatorem alterum ad insulas jam evocatum, qui nuperrime hoc ipsum argumentum, eamdemque propositionem in regiis ædibus prædicaverat, pro textu illa assumens verba: *Propter scelera populi mei percussi eum*: Suum hoc esse, tunc repente exclamavit ille, neque deesse plurimos testes affirmavit, qui hoc argumentum sæpe & in aula, & in præcipuis Lutetię templis a se tractatum audiverint. Alter vero, ut plagii notam eluderet, se illum nactum fuisse testatus est in Meditatione 114. Patris Burgoin, ubi de Purgantibus loquitur animabus; & ipsum quoque P. Burgoin illud ex alio concionatore, quem olim audiverat, fuisse mutuatum. Biroat, qui sub idem tempus concionabatur, hoc ipsum typis edidit argumentum in Quadragesima, textu variato, & nonnihil sermonis structura deformata. Hinc liquido patet, reii esse vulgatam, quod plures in idem argumentum impingant, & eos qui alios plagii nomine insimulant, hac in re eodem vitio redargui posse, quod & ipsi plagium in eo patrarint, quod tamquam proprium volunt haberi.

Tertius occurrit in imitatione defectus, difficilius evitandus; trahimur enim torrente consuetudinis, ac turba eorum, a quibus probatur. Est autem, quod si quis concionator recenti aliqua componendi ratione nominis gloriam affequitur; licet illa deficiat, & vitio minime careat, eam tamen omnes imitari adnituntur. Ita non ita pridem conciones sectæ, ac in divisiones, atque subdivisiones membratim concisæ in more erant positæ, eo quod insignis quidam concionator earum invexerat consuetudinem, quæ nonnisi post vigesimum annum obsolevit; licet omnes palam faterentur, eam veræ eloquentię oppositam esse, quæ poscit, & probationes, & argumenta latius effundantur, ut in lucem suam possint effetri. Alter quoque defectus obrepsit, qui prope fuit, ut omnem prædicationis vim, & soliditatem everteret. Fuit autem, sermones ita morum descriptionibus, atque chara-

racteribus replere, ut omne tempus transigeretur ea narrando, quæ fiunt in mundo; consuetudines, negotia, libidines, pompas; quin harum rerum horror injiceretur, atque mortales, qua validas afferendo rationes, qua divinę justitiæ metum incutiendo, ab illis averterentur. Excessus proculdubio vituperandus erat; verum omnes cæce in illum ruebant, & ex eo, quod concionis esse potuisset ornamentum, si hujusmodi character suo tempore, ac loco fuisset productus, verus fiebat defectus, cum opportune, importune descriptiones hujusmodi ubique ingererentur.

Non desunt alii, qui quod duas, trefve bonas audierunt, legerunt've conciones, illas assumunt in exemplar omnium, quæ elucubrantur, vitiosa imitatione; non enim advertunt, quod hoc in argumento, dicendique genere bonum est, in alio ferendum non esse. Qui ita agunt, satis ostendunt, se neque satis ingenio pollere, neque plura didicisse; cum velint in omnem trahere occasionem, quod ipsi olim in alio admirati sunt, illudque quocumque pretio omnibus sermonibus suis inserere. Adsunt etiam longe plurimi, qui concionatorem se egregie imitatos putant, ubi aliquibus usi fuerint locutionibus eidem familiaribus; sed affectationem produnt eas singulis ferme periodis iterantes. Ita novi concionatorem, qui eo quod alter ipso doctior, ubi res maximi momenti allaturus erat, monere consueverat: Ad hoc animum advertite; attendite quæso; diligenter audite; hoc ita frequenter repetebat, ut auditores fatigaret, & attentionem efflagitans efficiebat, ut minime sibi præstaretur attentio. Si quidquid dicis, notandum est, quondam peracta concione illi dictum fuit; semel hoc dixisse sufficiat; vel dic res notatu dignas, & notabuntur.

Pro ultimo tandem imitationis defectu recenseo, ad alienos conceptus enucleandos, explanandosque, tot verba congerere, ut deformentur, neque possint amplius agnosci; vel illos adeo paucis verbis complecti, ut ullis omnis venustas, & decus auferatur. Summa opus est arte, ut in compendio eadem proportio servetur, atque diuturna polleat experientia, ut iis, quæ justam obtinent mensuram, satis ampla tribuatur extensio. Hac in re præstabat Cicero, qui quæ ex aliis auctoribus imitabatur, ita & in compendium redigere, & latius amplificare noverat, ut earumdem venustatem retineret. Sed postquam præcipuos defectus attulimus, in quos sæpissime labimur excellentissimos oratores imitando, nunc afferenda puto, quæ animadvertenda censui, ut ita illos imitari, eosque ita cominus sequi possimus, ut exemplari imitatio non cedat; vel concessa inventionis gloria illi, qui primus extitit auctor, qui ejus legis vestigia felici imitatione non minorem laudem mereatur; quod profecto eveniet, si quæ mox afferimus, diligentissime exerceantur.

Primum illud est, quemadmodum jure servilis, ac pressa nimis imitatio damnatur, qua ita aliorum concepta, aut vocabula sequimur, ut nihil addere, nihil demere audeamus, e contra ad bene imitandum opus est omnia nostro ingenio accommodare, ea decerpere, quæ argumento nostro maxime inserviunt, alia relinquere, uti assolet in convivio exquisitissimis cujusque generis dapibus cumulatissimo, ubi singuli ea, quæ sibi placent, & quæ necessaria sunt, tantum delibant. Hoc pacto sancti Patres imitati sunt eos, qui sibi præcessere, aliorum mutuati sensus, quos aliis expressere vocabulis, vel novo verborum ambitu protulerunt, veluti ornamenta, de quorum pretio, & pulchritudine nihil deperit, cum ex proprio dempta loco, in alium non temere translata sunt. Ita videmus S. Bernardum plurima a D. Augustino fuisse mutuatum; Divum Augustinum a S. Cypriano; hunc vero a Tertulliano, quem magistrum suum appellabat, & cujus scripta indefinenter legebat. Id genus imitatio libera dicitur, quia non coarctatur ad verba, ac satis putat, si mentem auctoris assequatur, ejusque sensum in succum, sanguinemque suum transferat, quin admonere opus sit, unde fuerit depromptum, qua in re imitatio a citatione differt, quæ alienis non utitur nisi, ut ita dicam, impetrata facultate.

Alia imitandi ratio huic admodum similis, & quę licet æque, & non minorem laudem meretur, ea est ex alieno idiomate sensus quosdam deprompere, quibus nostratis proprium decus, ac venustas tribuitur. Plurimi sunt concionatores, qui hac mente variis student linguis, & qui eo utuntur jure, quod auditores illis in dubium revocare non possunt: nisi velint piraticam exercere, quia alii etiam populi vicissim nostris utuntur concionibus, ac nostratem concionandi rationem incipiunt sequi. Per me hoc faciant, licet, dummodo non sit meta translatio, sed nostro accommodentur gustui, quæ ab aliis populis desumuntur: alioquin furti crimine illos non excusarem; licet quidam ex celeberrimis concionatoribus nostris hujusmodi plagii accusatus responderit, qui alienos ita depopulantur, dicendos esse manubias potius referre, quam furari. Opinor autem, verius dixisset, si commercii nomine fuisset usus, & meminisset, has ut plurimum merces esse cum vectigalium fraudatione delatas, nisi usibus nostris reddantur appositæ.

Nescio utrum istic tertium adjicere debeam imitandi genus, quod nonnulli potius congeriem, vel collectionem vocant variarum sententiarum, ac locutionum ex ignotissimis auctoribus, & ex libris obscurissimis, aliquod tamen habentibus pretium, decerptarum; quas concionatores tanta arte concinnant, ut has de fonte suo manare putares: quemadmodum de celeberrimo legimus Virgilio, qui Ennii opera volvens acute dicebat, se aurum quærere in sterquilinio. Credo eos, qui hoc ipsum in antiquis concionum scriptoribus fecerint, nequaquam esse vituperandos; etenim inter res triatas, e trivio desumptas, male tornatas, ac pejus expressas occurrunt nonnumquam uberes eloquentiæ fontes, patethici motus, ac insignes sententiæ, quæ in optimum usum possunt transferri. Hoc sane esset adamantem expolire, vel de cæni sordibus educere, ut eo collocaretur in loco, ubi nitescere posset; hoc demum esset in opus inducere partes prestantissimas, quæ ex mala oratione divulsę, meliori non leve, & spernendum ornamentum afferrent.

Ne quid missum faciam, quod concionatoribus prodesse queat, dicam optimam, vel potius verissimam imitandi rationem eam esse, quam prestantissimi exercuerunt oratores, qui conati sunt eos exæquare, vel etiam superare, quos imitari sibi gloriæ vertebant, in iis saltem locis, ubi facilius hæc deprehenditur imitatio; alienos sensus in nitidiorem afferentes lucem, eique novum perfectionis gradum tribuentes, qui in primi auctoris opere desideratur. Ita plurimi notarunt, a Cicerone superatum semper fuisse Demosthenem, ubi liquido patet illum huic imitando studuisse; cujus rei ultra viginti afferuntur exempla, ex quibus iis, qui comparatione facta hoc intelligere cupiunt, satis erit conferre eloquentissimæ orationis, quam Demosthenes *pro Corona* elucubratus est, exordium, cum initio Tullianæ orationis pro Murena, ubi liquido constat Græcum oratorem a Latino victum esse; amplificationem, qua eamdem offert sententiam, venustiorem esse, & vocabula selectiora; totum denique hoc exordium summa tornatum esse industria, ideoque imitationem ipso exemplari esse elegantiorem. Ita vellem imitari concionatores; certus enim sum futurum, ut mediocres brevi excellerent, & meliores recentem perfectionem acquirerent. Quibus insignis auctor ille, de quo alibi accidit sermo, Longinus addit, utilissimum fore, si argumentum aliquod pertractantes cogitaremus, quam in partem versaretur ab illo, quem imitandum suscepimus; quomodo hunc, illumve sensum expriméret, vel quodnam de nobis judicium ferret, si nostrum opus legeret, vel nos concionantes audiret. Si consilium hoc ad sublimem stylum comparandum prodest, operæ pretium est etiam pulcherrimum locum aliquem ad imitandum deligere, & mox inspicere, utrum auctor in hac sui imitatione seipsum cognosceret.

Circa vero locos adeo eloquenter ab oratoribus aliunde expressos, quorum nomen, & meritum alias ad imitandum possunt allicere, hæc quæ sequuntur arbitror esse advertenda. Primum oratori quantumvis prestantissimo non esse erubescendum, eo quod imitatur, vel aliquot aliorum sensus adoptat; tandem enim cum humana mens exiguis finibus coerceatur, fieri potest, ut alius alio aliqua in re magis diserte locutus fuerit, &, ut ea fiat oratio, ubi omnia niteant, non alia fere suppetit ratio, quam qua usus est celeberrimus Pictor ille, qui elegantissimas ætatis suæ puellas collegit, ut quidquid in singulis formosissimum esset, imitaretur. Ego vero nullus dubito, in absolutissimis optimorum oratorum, quorum opera extant, concionibus, si di-

si diligentius scrutari velimus, quidquid in aliis imitati sunt, tot hinc inde expressos locos inventum iri, quot ingentibus explendis voluminibus satis esset; quandoquidem quotidie auribus nostris accidunt loci, vel desumpti, vel prudenti imitatione expressi ex Granatensi, Patre Delingendes, aliisque, qui opera sua publici juris facientes publico voluerunt consultum bono, omnibusque jus contulerunt illis utendi.

Secundum animadvertendum est, imitationem, ubi de concionibus sermo est, a plagio quam longissime abhorrere. Plagium enim honorem aufert cum re illi, cujus opus plagiarius sibi vindicat; quemadmodum poeta Virgilius (*a*) facere illum perstringit, qui se auctorem jactaverat carminum, quę admirabilis ille vates fuerat elucubratus; e contra ro imitatio non ingloria est illi, qui ad imitandum proponitur; neque enim magis præ nobis ferre possumus; quanti opus ejusdem a nobis fiat, quam illum imitari studentes: & licet nos non obtinuerit, ut hac in occasione autographi nomen exprimatur; cum primus auctor agnoscit, se in exemplum fuisse delectum, non ideo succensere, sed sibi plaudere debet.

Tertio semper meminisse oportet, imitationem similitudinem quamdam esse debere, non usurpationem, ideoque imitari non esse impune alieni operis partem describere, ac sibi vindicare; sed adniti, ut aliud opus fiat illi par; quæ dicitur æmulatio, quæ nullo modo potest vituperari. Sin autem opus integrum adoptatur, quod fecit Menagius, ut cujusdam amicissimi sui liber inter opera sua ederetur, curans, cui *Adoptivi libri* nomen affixit, declarandum est genuini Patris nomen, quemadmodum sapientissimus idem auctor præstitit.

Postremo eos, qui concionatores audiunt, etiam, atque etiam monitos volo, ne succensеant, si ab aliquo id audiunt, quod jam ex alio audiverunt; sed meminerint, cum eadem argumenta toties cusa, recusaque fuerint, difficillimum esse, ut aliqua in re non conveniant, qui eamdem actum agunt; cumque idem sensus, eædemque probationes, præsertim quæ propriæ sunt, ac naturales, usurpatæ fuerint ab illis, qui ea tractarunt argumenta, illis, qui deinceps subsecuti sunt, nihil sæpe dicendum superfuisset, nisi usi fuissent eodem jure, ac illi, qui primi inventores fuisse putantur; qui & ipsi alios imitati sunt, qui antea molam eamdem versarunt.

(a) *Hos ego versiculos feci, tulit alter honores; Sic vos non vobis &c.*

IN-

INDEX ARGUMENTORUM

Contentorum in hoc Primo Tomo.

PROLEGOMENON PRIMUM. De hodierna concionandi ratione. Pag. VIII

PROLEGOMENON SECUNDUM. De ratione imitandi notæ melioris Concionatores. XIII

A

ADOLESCENTIA. Adolescentiæ institutio; vitia, in quæ prona est; virtutes ab ea comparandæ; ejus officia; pericula illi impendentia &c. Pag. 1.

ADULATIO. Qui eam patiuntur, & faciunt; complacentia &c. 13.

AFFECTUS; eorum perturbatio, & mortificatio; affectus prædominans, ejus subigendi necessitas. 28.

AMBITIO. 53.

AMICITIA; amicitia Christiana; amicorum electio: cum viris bonis familiaritas; veri, & falsi amici. 74. 89.

AMOR DEI.

AMOR INIMICORUM, & injuriarum venia. 124.

AMOR, & CHARITAS erga proximum. 156.

AMOR SUI; inordinatus amor sui ipsius; utilitatis suæ cura; præceptum, quo nosmet odisse jubemur. 181.

ANIMA HUMANA; ejus excellentia, pretium; quæ illius cura sit habenda &c. 195.

ATHEI; Atheismus, Deistæ, Impii, Infideles; argumenta Dei existentiam probantia. 210.

AVARITIA; divitiarum amor, usura &c. 237.

B

BAPTISMUS, obligationes, quas per baptismum contraximus; nomen Christiani, quod ibi recepimus, & officia, ad quæ nos adstringit. 264.

BEATITUDO; æterna felicitas, paradisus, cœli desiderium, gloria Beatorum. 284.

C

CÆCITAS ANIMÆ; cordis obduratio, Dei destitutio. 320.

CHRISTIANISMUS; Religio Christiana; illius præstantia, institutio, credibilitatis argumenta, persecutiones, martyria, miracula. 347.

COMMUNIO; preparatio ad communionem; bona, & mala communio, frequens &c. 371.

CONFESSIO. Sacramentum pœnitentiæ, & partes illud constituentes &c. 390.

CONFIDENTIA IN DEUM. 413.

CONFORMITAS DIVINÆ VOLUNTATI; submissio præceptis illius. 436.

CONSCIENTIA bona, & mala; conscientia erronea, malæ conscientiæ tormentum; bonæ pax, & tranquillitas. 451.

CONSUETUDO, Mos; tyrannicum consuetudinis imperium; servitus eorum, qui eidem obsequuntur &c. 470.

CONTINENTIA; castitas, puritas, & quidquid ad hanc virtutem pertinet. 484.

CONVERSIO PECCATORIS; ejusdem reditus ad Deum; dolor & pœnitentia peccatorum; mutatio vitæ: interior pœnitentia; spiritus contritionis &c. 499.

CORRECTIO FRATERNA; reprehensio, punitio &c. 526.

CURIOSITAS; dissipatio spiritus, effusio cordis, in suis officiis incuria &c. 549.

D

DETRACTIO, calumnia, & quidquid pertinet ad jacturam alienæ existimationis. 561.

DEVOTIO, pietas; vera, & falsa devotio. 583.

DIGNITAS; honor, magistratus; quomodo in illis sese gerere oporteat, & eorum officia. 610.

DISCORDIA; diffidium, dissensio, jurgium &c. 635.

DIVITIÆ; fortunæ bona; bonus, malusque usus opum; vitia, & mala, quorum sunt causa. 651.

DOMINI ET FAMULI; mutuaque inter illos officia. 670.

BIBLIO-

BIBLIOTHECA CONCIONATORIA.

ADOLESCENTIA.

Adolescentiæ institutio; vitia, in quæ prona est; virtutes ab ea comparandæ; ejus Officia, pericula illi impendentia, &c.

MONITUM.

ADolescentiæ educatio, de qua peculiarem Titulum instituimus, argumentum est longe nimis, lateque extensum, quodque librum potius, quam sermonem deceat, si de virtutibus omnibus, quæ ad eam ætatem pertinent, deque effectibus, ac vitiis, quibus est obnoxia, verba facere velis. Potest nihilominus ad justam Sermonis formam coarctari, dummodo tenet inter unius, vel duarum propositionum cancellos contineat, quæ ad mores formandos, imbuendamque adolescentiam pertineant, quemadmodum in primo Tractatus hujus paragrapho præstare adnitemur. Hoc autem fieri præsertim debet iis in locis, iisque in puerorum cœtibus, ubi quis eos erudire, atque ad virtutem manuducere tenetur.

Notandum est tamen hoc de instituenda adolescentia argumentum minime cum filiorum educatione confundendum esse, quæ ad parentes proprie pertinent: licet enim permulta sint, quæ utrobique dici queant; hæc tamen est materia prorsus alia, uti videre est ex variis officiis tum eorum, qui erudiunt, tum eorum, qui sunt erudiendi.

In tam amplo argumento illis, qui sanctissimam hanc navant operam, & iis præcipue, qui pueros palam sermonibus, vel hortatiunculis ad eorum statum, ætatemque accommodatis instruunt, auctor sum, in hoc præsertim adniitantur, ut illi facile intelligant, ex adolescentiæ tempore reliquum vitæ curriculum, ideoque maximum salutis æternæ negotium pendere; nihilque antiquius esse debere, quam ab ineunte ætate virtutum habitus imbuere, præclara pietatis, & religionis semina jacere, peccatum perhorrescere. Illis ob oculos exhibenda sunt pericula, indicandique scopuli, in quos ea ætas solet impingere: quæ omnia cum unico sermone in illam, qua par est, lucem nequeant afferri, necesse puto, in plures adhortationes esse partienda. Videamus aliquando materiam.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hoc in argumento construendarum delineatio.

I. NUllum Christianæ Adolescentiæ aptius, utiliusque eligi argumentum posse reor, quam in medium eas utilitates proferre, quæ illis uberrimæ cedunt, qui a teneris unguiculis Deo famulantur; hæc enim ætas hoc præstare facile potest, atque adeo salubre consilium amplecti. Duplex, eaque insignis utilitas, quam illi percipiunt, qui a pueris se Deo devovent, partitionem concionis instituet. Prior autem hæc est, eos videlicet qui ab ineunte ætate se Deo mancipant, non eos labores, neque eas difficultates experiri, quæ virtutum exercitationi, ac divino famulatui quodammodo inhærent. Altera vero, quę aliquid continet positivum, hæc est, illos qui ita Dei servitio se se dedunt, & qui tenella ętate virtutem excolere gestiunt, omnem ejusdem suavitatem percipere.

Pars Prior. Primę hujus utilitatis rationes ex Prophetę Jeremię verbis desumuntur, qui cum dixisset: *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua*: hęc subdit, *sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit se super se*; quę quidem verba juxta SS. Patrum interpretationem triplicem propositę veritatis rationem comprehendunt. 1. *Sedebit*; quiescet, hoc est juxta D. Thomę sententiam, minime perturbabitur procacis, salacisque adolescentię affectibus, quos qui serius coercere student, ęgre, ac non nisi cum labore illorum ęstum, atque impetum cohibent. Quis enim ignorat in hoc positum esse virtutis studium, ne tuis affectibus decipiaris, sed primos eorum motus conteras, atque animum in omne vitium ruentem modereris? quod efficit, ut alii jugum Domini, quod velis nolis, serius ocyus subeundum est, si salvus esse cupis, in diem semper subire differant; alii postquam illud subiere, statim excutiant; alii demum illud omnino detrectent illecti, aut victi pravis affectibus suis, qui sępe indomiti evadunt. Non exigua est igitur utilitas servientibus Deo jugum ferre ab adolescentia, quo tempore affectus, qui deinceps non spernendum afferent obicem, nondum vigent, neque illud obtinent imperium, quod in adultioribus sęvius exercere consueverunt. 2. Affectuum quies, atque tranquillitas nequaquam unica est causa, quę virtutem prębeat faciliorem; Propheta adjicit silentium quod quidem a turba, & sęcularium negotiorum sęjunctione procedit: *Sedebit solitarius, & tacebit*. Licet enim D. Bernardus hęc de illis explicet verba, qui Religiosum statum amplectuntur, ubi vere ab omnibus sęculi rumoribus, negotiorumque impedimentis absunt, intelligi nihilo secius possunt de quovis hominum statu, & conditione, ubi mente saltem, corde, atque affectu a sęcularibus curis omnino sęcedendum est, ut Deo quemadmodum oportet, serviatur. Hęc autem non in postremis est utilitatibus, quibus adolescentia perfruitur, quę nondum est negotiis implicita, & propter bonos habitus, quos ex recta institutione adepta est, facilius in pietatis exercitatione, ad quam fuit exculta, potest perseverare. Namque alioquin non secus ac mundi voluptates, erroresque sęculi levi negotio adolescentum corrumpunt animos; ita negotia, rumores, sęcularesque curæ, eos distrahunt, dissipant, atque avertunt a qualiber salutis æternæ cura, atque a Dei famulatu, quæ quidem facili oblivione obruuntur. 3. Adde cum Propheta: *Quia levavit se super se*. Qui Domini jugum ab adolescentia gestaverit, supra semet ipsum se attollet; hoc est, Divina opem ferente gratia super naturam ipsam se efferet, supra aliorum sensus, atque infirmitates; supra metus, qui infirmas deterrent animas; supra humanos respectus, qui obsunt plerumque, ne plurimi in Dei partes palam concedant, ac se pro virtute stare profiteantur, ita ut in via Domini celeriter currant, dum reliqui vix gradiantur; namque se a teneris Deo mancipantes non modo omnem virtutis laborem evitant, verum etiam omni illius suavitate fruuntur: quæ altera sermonis est pars.

Ibidem.

Thren. 3.

Pars altera. Hæc luce clarior est veritas, non deesse virtuti suavitatem suam quibuslibet etiam sensuum voluptatibus prælerendam: verum nequaquam affirmare dubitaverim quidquid indelibatitiæ suavitatis, atque solatii dimanat, partem esse innocentium animarum, quæ ab ineunte ætate se Deo devo-